




PERILLVSTRI ac REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. IOANNI GEORGIO KVNIK

SS. Theologiæ & V. I. Doctori,
Płocensi Varmiensi
CANONICO,
PRÆPOSITO
Łomżensi;
GENERALI AVDITORI
Causarum Curiæ,
Illustrissimi & Reuerendissimi Domini
Episcopi Płocensis &c. &c.
Domino Patrono & Benefactori
obseruandissimo.

PP. Eremi Camald in Insula Vigrensi

Obsequentissimus Cliens,
MARTINVS STANISLAVS LEYMAN,
SS. Canonum & Philosophiæ Auditor
Offert dedicatque

PANEGYRICAS ORATIONES

Rndi P. MARTINI KRETZMER Soc. JESV SS. Theologiæ Doctoris,

Eiusdemq; & SS. Canonum Professoris Ordinarij,

NEC NON:

Superiorum Scholarum Præfecti, in Collegio Varsauiensi Societatis JESV;

Sparsim antehac
in diuersis Collegiis dictas
ac publica luce sub alieno Nomine donatas,
Nunc in vnum fasciculum collectas.

Cum Superiorum Licentia.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis IESV per Lituaniam Prouincialis, potestate mihi facta ab Adm R. P. N. Ioanne Paulo Oliua Præposito Generali, facultatem concedo, vt Orationes panegyiricæ P. Martini Kretzmer Societatis nostræ Sacerdotis ab aliquot Societatis eiusdem Theologis lectæ & approbatæ, typis mandentur. In cuius rei fidem has literas manu propria subscriptas, consuetoq; officii Sigillo munitas dedi. Vilnæ die 20 Iulij Anno 1678.

Ioannes Blaszkowski mppria.

VARSAVIÆ, Excudebat Carolus Ferdinandus Schreiber Anno 1679.

Dedicatio Ad Perillvstrem Et Reverendissimvm Dominvm.

LIbrum, ceu perenne immortalis ſapientiæ monumentum, inter regias delitias diuitiaſque æſtimatum, Magnus olim habuit Macedo. Librum & ego regium, quia Reginæ Eloquentiæ, tanquam charum apud ſinceros literarū æſtimatores depoſitū, in manibus Tuis colloco. *Perilluſtris ac Reuerendiſsime Domine*, Volumen hoc beneficiorum Tuorum index eſt; in quo, quot literas atq; apices notaueris, tot trophæa Tuæ munificentiæ in me collatæ puta aſſurgere; quæ meipſum, animatum Tibi ſtare trophæum, occulto licet, quia amoris ſtylo loquuntur. Pretium operis literarij, partim ab ingenio authoris, partim ab affectu dedicantis æſtima. Scilicet erudita ingenia, auro gemiſq; nobiliores gignunt opes; hoc ipſo ſole mineralium parente feliciora, quòd illas non è natali rerum omnium puluere, aut aquarum glareis, ſed ex infuſa ſibi diuinioris mentis particula eduxerint. Nos verò Clientes, pretioſis ſapientiæ diuitijs legendis, ingenia ac labores ſacramus; quibus poſtquam Mecænatum amor, pondus & pretium impoſuerit, profuſæ in nos liberalitati, vel impar ſaltem exhibemus gratitudinis monumentum. Thaumaturga ſanè munificentia eſt, quæ nouos procreat Marones, ſi nouos viderit Mecænates; & Plinios è ſepulchris ſuſcitat, ſi Traiani faueant. Atq; iſta librum hunc meumq; ſimul animum libro concluſum, ad Te expedijt, imò potiùs pertraxit magnete illo, quem Tu & ſanguinis cognati vinculo &

liberalitatis nexu appendisti. Ipsa etiam Eloquentia paginis hisce circumsepta, quæ in pluribus liceis, & illustribus Vniuersitatibus, non ingrata hospes, Auditorum pectora & affectus occupauerat; apud Te domestica, Tuiq; pectoris inquilina pridem fieri postulabat: vt per varias cathedras diuisa ac dispensata, tandem in vnum corpus collecta, pro rostris manus animumque Tuum possideret. Illa enim est, quæ vt in lucem nasceretur, vitam & vitæ vigorem à sanguine Tuo accepit, in ipso Authore Tibi consanguinea. Vnde nondum typi obsequio, in libertatem atque communem lucem educta, & adhuc intra sui Plasmatoris ingenium, veluti intra primas fascias hærebat vinculata, & iam Tibi vitam & lucem debebat, quæ Tui sanguinis impensis & splendidè viuebat, & splendidiùs erat victura. Ipse quoq; animus Tuus, in viuam Eruditionis palæstram formatus, grande Eloquentiæ posuit illicium, quo illa pertracta, perpetuum manuum, imò pectoris Tui incolatum satagebat profiteri. Iste scilicet est literarum genius, in amorem atq; cor sapientum sese insinuare, ac in corde possesso veluti in atrio vetustarum imaginum, & sibi & suis Fautoribus immortalitatem inscribere. Amant itaque Sapientum oculos & dexteras literæ. Vnde ipsa etiam Minerua tum demum sudorem de eruditis frontibus expressum in gemmas nouit conuertere, cùm illum pro amoris deposito in manus æquè eruditorum virorũ collegerit. Frustra quoq; sub onere docti laboris sudarent ingenia; si hic sudor intra noctes Atticas decoctus, in tenebras solas ac inanes nebulas abiret; solem nunquam

amicum

amicum, in illuſtri doctorum virorum oculo habiturus. Fruſtra in obſequio literarum, ſtudioſi calami fatigarentur, ſi pro atra ſæpia nunquam candidam lucem in præmium acciperent. Affudiſti Tu lucem ſatis de ſe illuſtri huic operi; dum ei in pectore Tuo omnibus ſcientijs atq; facultatibus, quemadmodum ſideribus coruſcanti, amoris ſtationem aſſignaſti.

Neq; miror diuinas æque ac humanas ſcientias apud Te ſuum fixiſſe domicilium: pro quibus Tu veluti fixis ſideribus, in animo Tuo architecta virtute fabricaſti cælum, vaga & errantia phænomena fatuoſque ignes nunquam admiſſurum. Virtuti enim ſapientiam ſuperædificabas, & præiactis literarum ac Sapientiæ fundamentis, iterum Virtutum molem ſuperimponebas. Ruit enim ſumptuoſa ſcientiarum fabrica, carioſæ inſtar domûs; cuius baſim ſolida virtus non ſuſtentauerit. Deſipit ipſa Pallas, vbi illi ſanctior Themis, Magiſtram ſeſe non præbuerit. Quare Tu ad prima ſtatim ætatis Tuæ rudimenta, vtrumq; hoc Numen Magiſtrum habere voluiſti, dum æquè à Virtute beatè atq; à Pallade doctè viuere diſcebas. Vnde Brunopoli in Hoſiano Societatis Iesv Collegio, humanioribus literis nauans operam, cæleſtem quoq; Humanitatem, vrbanâ morum modeſtiâ & pacatâ affectuum malatiâ ita efformabas; vt viua vultus Tui Pietas, facundè pro ſe perorare videretur. Oſtendiſti etiam cælis ſuam Rhetoricam eſſe, quæ pro roſtris ad Diuorum aras, ſuos erudiat Oratores: inter quos Tu cælitum cultui deuotiſſimus, palmam præferebas. A manſuetioribus literis ad ſeuiores ibidem, felici

paſſu progreſſus, atq; curſu philoſophico ad terminum deducto; poſtquam pro corona ſub coronato nomine Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Principis Stephani Widzga Epiſcopi pro tunc Varmienſis decertauiſſes: fortunatum Stephanoma ac triumphale Epinicion, ſub coronatis tanti Præſulis auſpicijs obtinuiſti. Quanquam caput Tuum, opibus ingenij pretioſum, planè ipſum ſibi erat Corona; quod & multorum ſpes de Te præconceptas coronabat, & plurimorum amorem in continuati circuli Philoſophici ambitum pertrahebat. Atque hic amor & æſtimatio Tui, non contenta inter minores ſubſidere populos, magna quoque ſublimium Eccleſiæ Prælatorum inſederat pectora; præcipuè illius digni faſtis perennibus Antiſtitis (qui Senatoriam purpuram, Pontificiæque Tiaræ lucem cum vmbris religioſis permutauit, vt in abdito ſplendidior Superis luceret) Illuſtriſsimi inquam Thomæ Vieyski Epiſcopi tunc Kiouienſis: à quo tanquam certiſſimo ratæ fidei oraculo illud habuiſti virtutis & ſapientiæ ſuffragium, quo Tua indoles ad magna Eccleſiæ & Patriæ munia, diuinatione non vana deſignabatur. Comitantibus demùm imò ſuccollantibus Illuſtriſſimi Capituli Varmienſis affectibus, Principem Poloniæ Vrbem Cracouiam petijſti: vt in capite orbis Poloni, ſcientiarum arcana acciperes; quæ olim per membra eiuſdem Reipublicæ eras diſpenſaturus. Et quidem à vetuſta literarum Parente, ſimul ius in affectum atq; in literas accepiſti; poſtquam ciuili & canonico iuri, vnaq; ſcientiarum Principi Theologiæ in Auditorem Te mancipaſti. Accepiſti ſimul à Gratiano & Iuſtiniano,

niano, gratias Sapientiæ & perpetuum erroris iuſtitium; ſimulq; è pectore Aquinatis Solarem lucem, vt grandibus Eccleſiæ negotijs, humeros caputq; ſupponere maturè diſceres atque Te in Athlantem ferendo oneri publico parem formares, monſtraturus hoc in viridi herba, quod olim in adulto culmo tempora & mirari & amare debebant. Multos ſanè Phäëtontes vidit & defleuit orbis, qui iuuentutem ſuam ſtudijs clariſſimam effecturi, ſolis currum conſcendiſſe & iam triumphantibus ſimiles, cælorum tractus ſuperaſſe videbantur; cùm ſine directrice virtute, temerariè audaces, ruinam & caſum pro ſcopo itineris tenuerunt. Neſcit Sapientia feliciter & ſecurè iuueniles regere annos, ſi illis virtus frena non iniecerit. Vnde Tu triennium illud ſtudij Academici, æquè ad fundandam in animo Tuo virtutum Vniuerſitatem ac ſcientiarum notitiam in Cracouienſi Vniuerſitate comparandam conuerteras. Omnibus certè virtutibus totum Te ſtudiosè impenderas, ſingulariter tamen admiratores oculos tenuerat, tenera in Auguſtam cæli Reginam Tua pietas & deuotio: quam vtpote Sapientiæ ſedem & gratiarum vniuerſitatem ſingulari obſeruantia Tibi deuinxeras, eidem cum indefeſſa conſtantia, ad vſq; omnium innocentem inuidiam, & Præſidum Tuorum non vulgarem commendationem deditiſſimus. A Poloni Orbis Metropoli ad Varmienſem Cathedram redux, nouam eamque potentiſſimam Illuſtriſſimorum Præſulum ac Procerum cordibus, inieciſti planè Herculis Gallicani catenam; quâ virtutis & eruditionis Tuæ laudatores omnium animos ita ſuſpendiſti,

ſti,

ſti, vt Tuos Tibique deuinctos efficeres. Neque hic affectus Magnorum Prælatorum intra ſolas pectorum anguſtias continebatur, prodijt in effectum; atq; vt in facie orbis & ſummo ſcientiarum ac virtutis theatro, Tuam magis probares exerceresque indolē, Romā Te expedijt, ſingularibus Preikianæ fundationis impenſis accumulatè donatum. Vt ſcilicet præclaram mentem, manſuetioribus ſeuerioribusque facultatibus in patria ſatis politam, extra patriam quoque polires, externos accepturus, domeſticos externis diſpenſaturus ingenij ſplendores. Habet enim id quemadmodum morum ita ſcientiarum venuſtas, vt tum demum maximè placeat, cùm maximè diſſitis regionibus quæritur. Peregrina & aduectitia pulchritudo, vt plures ſpectatores, ita plures ſui habet inueſtigatores: quæ ſi ſcientiarum tantùm & virtutum lineamentis, & non furtiuis vitiorum coloribus quandoque depingeretur; omnibus etiam pretioſiſſimo labore eſſet emenda. Pudet certè plurima ſecula, quòd non paucas viderint indoles, ad domeſticū foculū natiua fuligine obtenebratas: quæ ſplendidè orbi luxiſſent, ſi maternas vmbras lucifugæ tanti non æſtimaſſent. Vnum de numero talium accuſat noſter Pöeta.

Alter reducto lentus in otio,
Paullùm ſepulto diſtat, inutilis
Belli domiq́, & ante letum
Heu virides malè perdit annos.

Correxiſti Tu hanc temporum labem, cultiſſimamq; iuuentutem Tuam Romanæ culturæ & Scientiarum Vrbanitati, in Vrbe terrarum Domina excolendam permiſiſti.

ſiſti. Vbi Theologicâ & Vtriuſque Iuris laureâ redimitus, oſtendiſti exteris, extra Alpes quoque Muſarum ſedem ingenia eſſe, & ſub frigidiore Arcto, inueniri calentiores virtutis & ſapientiæ igniculos, qui in lucem gloriæ ſoleant excitari. Vt liuor alioqui magnorum gloriæ iuratus inſidiator Te metueret, & à longe veneraretur; honores & fortunas quæ liuoris illicia ſunt, vel vltro Te ambientes, vltro fugiebas: Talem Te conatus exhibere, qualem olim quendam Heroum, Polonus Horatius deſcripſerat.

Sed ipſe liuor Nominis in Tui
Occumbet ortu: Tu Dominus Tui
Diueſq; non debes caducæ
Ludibrium opprobriumq; Diuæ.

Nihilominus etiam fugientem Te honor ſequebatur. Æſtimauit ad pondus Honorum dotes Tuas æquiſſima Vniuerſi æſtimatrix Roma: atque eaſdem, collatâ tum Præpoſiturâ & Canonicatu Calliſſienſi, tum Oppatouienſi Scholaſteria, quam pro modeſtiæ Tuæ genio honorum minimè ambitioſo non recepiſti, ad altiora omnia excitauit. Tandem aureo Piſcatoris annulo conſignatum, ipſaque Apoſtolica authoritate firmatum priuilegium pro ſtallo Canonicatus Varmienſis contulit. Verùm magnis paſſibus ad honores Eccleſiæ, eunti Tibi, minimus etiam ſcrupulus è trita regiaque via amouendus erat. Vnde cenſori Romano Præſulum oculo, Tuam habilitatem ad ſacri Senatus dignitatem eccleſiaſticam, luculenter ac abunde probaſti: vt aureæ virtutis & Sapientiæ approbatorem lydium lapidem

 à Petra

à Petra orbis Iudice haberes. Sequebatur Te in patrias oras reducem, auſpicijs & fauoribus ſuis aſſiſtens Roma, quæ etiam vt probitatis & doctrinæ maturitatem preſſiùs in Te notaret; fauoris Apoſtolici prærogatiuis, æquiſſimo ac ſincero eruditarum Tuarum virtutum æſtimatore Primate Procerum Varmienſium, condecorauit. Accepiſti hîc ſtylum gloriæ, quo ſiue ad latus Nuncij Apoſtolici Tua Te virtus ferret, ſiue *Pl*ocenſis Diæceſis cauſas & intricatas lites diſſolueres, ſiue cætera quæque Antiſtitis ac Senatus Eccleſiaſtici onera ac negotia robuſtè ac feliciter per alia diuerſa ſubſellia deferres: vbique famam bene geſti muneris, perennibus ceris tranſcriberes. Efficaciſſimâ & potentiſſimâ ad expugnandam benefici pectoris arcem machinâ vſus es; ſcilicet benemeritis ſapientiæ, virtutis robore firmatis. His poſſediſti cor Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Antiſtitis *Pl*ocenſis; qui cùm in humeros Tuos, negotiorum Epiſcopalium molem, grandium curarum pondus & Conſiſtorialium cauſarum Maieſtatem ſecurè deponeret: ſimul animum ſuum fauoremq; Pontificium, & ſublimes *Pl*ocenſis Canonicatus honores in virtutis Tuæ ornanda merita depoſuit. Habes Magni huius Antiſtitis encomia pro virtute Tua diſertiſſima; habes totam aulam in amore ac æſtimatione Tui hærentem; quam conſtanti modeſtia, ſedula pietate, officioſa demiſſione, atque comi morum temperie, in laudes Tuas coniurare feciſti. Applaudit ſibi ipſa *Pl*ocenſis Diæceſis, quod Te Generalem Cauſarum Conſiſtorij Auditorem habeat; in quo & eximiam Sacrorum Canonum notitiam, & ſapientiæ

pientiæ pondus ad lancem iuſtitiæ bene trutinatum ſuſpicit & adamat. Gratulatur Cathedræ ſuæ. Te Canonico Collegio, veluti terreſtrium Numinum Senatui grata apotheoſi inſcriptum. Adeſt ſocia plauſuum Pultouia, quæ Te nuper ſuum Officialem, venerationis officio proſequebatur, nunc Tuæ virtutis & ſapientiæ perennem recordationem, in debitum ſibi officium aſſumit. Eandem ſcenam induit Lomza, quæ Te Præpoſito & Paſtore gaudet, tuiſque humeris innixam ſacræ ſuæ felicitatis molem læta contuetur. Succeſſiſti in hoc onere Magnis Atlantibus Alcides, non impar illuſtrium nominum & honorum baiulus. Ipſæ ſponte eccleſiarum dignitates ad Te confluxiſſe videntur; potiùs accepturæ quàm daturæ ornamentum. Conſcendiſti ſublimium faſtigia honorum & Cathedralium ſubſellia eccleſiarum, non vt otioſo duntaxat fulgeres honore, verùm vt ex alto, pluriũ commodo, operoſa Tua illuſceret virtus. Quare Te, etiam, viua Dei templa experiuntur Patronum & Protectorem; quæ partim in pauperibus ac Orphanis munificâ Tuâ dextrâ ſubleuandis erigis, partim veſtitu donando contegis, partim ſtudijs applicando erudis, cæteriſq; beneficijs ac liberalitate Tua ſuſtentas. Non tacent Religioſorum cænobia, Tuæ munificentiæ laudes, quas in amplas beneficijs Tuis excitas panegyres. Loquitur plurimorum Sacerdotum diſerta egeſtas, diuitem Tuam protectionem & exhibitum coram Illuſtriſſimo Loci Ordinario patrocinium, illudq; tot ſeculis quot votis apud Superos benegeſtorum remuneratores commendat. Verùm quia per cæteros ſparſa,

ſa, in me vnum collecto ad compendium alueo, Tua beneficia confluxerunt; qui largos beneficentiæ latices ſum expertus, è Varronis monito, fontem coronaturus accurro: tot triumphales herbas pro corona offerens, quot flores pro ſerto Reginæ eloquentiæ aptiſſimi, hoc [quem in manus Tuas depono] libro continentur. Cum his vt adamantinam multorum annorum coronam induas, ipſeque immortalitatem gloriâ, tempora fortunis, Patriam & Eccleſiam meritis, nos Clientes auſpicijs diu corones, animitus opto voueoque.

Perilluſtris & Reuerendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Cliens obſequentiſsimus.

MARTINVS STANISLAVS LEYMAN,
Ss. Canonum & Philo: Auditor.

PANEGYRIS

De Immaculata DEIPARÆ Conceptione

ARGVMENTVM PANEGYRIS.

Quemadmodum magnum gratiæ miraculum est, Virgo MARIA in Deiparam electa & à peccato Originali præseruata; ita magno miraculo, maius foret monstrum, si Dei Mater peccato, quod malorum omnium maximum & turpissimum est, fuisset contaminata.

Panegyris.

PRodigij instar proclamatum est vniuersis MARIAM hæreditaria humani generis labe prodiisse immunē. Aud. Et est, cur attonitus super inuiso à sæculis prodigio stupeat animus, est admirandi seges copiosissima, est miraculi copia multò maxima. Communi enim lege natam prodire, & communi non fuisse conceptam iure; è mortalium numero censeri, & mortalibus non adnumerari; è puluere & auito cinere nostra ducere stemmata, & astra Cælorum insignia plantis calcare; tot certè prodigiorum genera sunt, quot superioribus patrata sæculis Natura vidit nunquam. Septena orbis miracula ruderibus & obliuione hodie sepulta, ostentauit olim mirabunda Antiquitas: quia in cœcæ noctis caligine magnum quodpiam suspexerat, quod nos in orthodoxæ lucis meridie, tanquam ingeniosa artis humanæ crepitacula ridemus: cur inter prodigiosa facinora potiori iure non numeremus illud, quod vnius facti dignita-

te, sexcenta vincit naturæ atq; gratiæ miracula. Melius hodie, quàm olim, Romanus caneret Vates,

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus iactet nec Babylona labor,
Nec triuiæ templo molles laudentur honores,
Dissimuletq; Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Vnum illibatæ MARIANÆ Conceptionis miraculum, vniuersa superat fastuosæ antiquitatis prodigia. Ergo vnũ pro cunctis fama loquatur opus. Prima integritatis MARIANÆ exordia dum maternis adhuc stringerentur angustijs, iam summos sanctimoniæ apices è grauissimorum Patrum sententia excesserant. Dum Patrio adhuc tenebatur carcere mens tenella, iam libertati ante libertatem asserta, ad maximi imperii habenas destinabatur. Necdũ infans, & iam VERBO concipiendo electa, necdum nata, & iam augustissimæ Principis dignitatem nacta. Concepta, sed ex acutissimo diuinæ mentis conceptu, sine auita labe concepta. Nostræ stirpis sanguinisq; nostri propago, sed cuius necessitudinem Angelica ambiebant nomina, magnisq; se inclaruisse meritis existimabant, vbi orbi adoratum MARIÆ nomen flexo salutassent poplite. Non hæc Ægyptiarum, fateor miracula sunt pyramidum, sed fastuosos tamen transcendunt suâ celsitudine Cælorũ pyropos. Non superba Babylonis sunt pergama, sed diuinæ amplitudini circumfusa sunt mœnia, DEIq; immensi terminus sine termino. Non pensiles floridæ voluptatis hortos, & delitiantis Veris thronos cum Cæsarum Panegyrista

negyriſta dixero, quorum ſpecimina multoties noſtri textores edunt aranei. Non fabuloſi Numinis profana appellauero ſacraria, ſed ſanctiſſimæ Triados augusta, & augustiſſimis maiora pallatijs domicillia, [atq; vt cum ſacro Græciæ Oratore Chryſoſtomo loquar] veris ipſius & floridæ maieſtatis amœniſſima Tempe. Vnum conceptæ Virginis primæuo ſine crimine opus, totam quà patet implet æternitatem miraculis. Non tanta vaſtiſſimorum Cæli terræq; finium amplitudo, quanta vnius MARIANI prodigij eſt maieſtas. Verùm enimverò, ſicut maximi prodigij loco cenſetur, mentem illam diuinæ integritatis æmulam auitæ neſciam turpitudinis, communi mortalium abſolutam lege prodijſſe; ita ſpectrorum, omniumq; monſtrorum genera extitura omnino fuiſſent, ſi ea, quæ ſanctimoniæ eſt pelagus, rea fuiſſet criminis: quæ puritatis eſt abyſſus, immunda; quæ lucis ætherææ Mater eſt, tenebrarum filia; quæ diuino Numini iura dixit, mancipium ſtygiæ ſeruitutis, apud gentes omnes populoſque, Cœlo terraq;, mortales inter atq; immortales, ſempiterno cum dedecore audiuiſſet. Magnum igitur miraculum ſit, MARIAM omni iure puriſſimam, auito non ſubiacuiſſe næuo: ſed magno miraculo maius turpiuſq; monſtrum futurum erat, ſi labe ſeſe contaminaſſet leuiſſima, quæ pulchritudinis Diuinæ abſolutiſſima inter mortales eſt idea. Grande inquam prodigium ſit MARIAM omnibus titulis puriſſimam, nullo nomine ream ſceleris; intemerato partu in lucem eſſe effuſam: ſed hoc fieri conueniſſe, ſacra atq; profana omnia exigebāt iura, antiquiſſima populorum ferebant ſancita, ipſius rectæ mentis atq; rationis humanæ lumina, à Cœlis mutuata,

 perſua-

persuadebant. At si turpissimo refractariorum Parentum dedecore Virgo contaminata, lucem an tenebras mortales aspexisset, quod deniq; futurum fuisse monstrum censetis? quale naturæ gratiæq; dissidium ex ipsis odiis & iuratis inimicitijs compactum futurum fuisse existimatis? nam & sanctam futuram fuisse Virginem, & grauissimo scelere obligatam; & sole puriorem, & stygiis obscuriorem tenebris; & augustissimam Principem, & orco addictam famulam; & imperantem Cæsarum Regumq; solijs, & scabellum stygijs proculcatum plantis; necesse erat omnino. Quemadmodum enim ab vno diuinæ Parentis nomine vniuersa illa gratiarum agmina promanassent: ita quoq; recensita antiqui sceleris dedecora, pari iure in eandem fuisse promanatura, est manifestum. Suam sibi vendicassent matrem, ornamenta filij cum Matre communia, sed suam quoq; postulassent stygij ignes prædam, vetusto crimini addictam. Suam tanquam Imperatricem maiestatem, siderum solisq; regna efflagitassent, sed æternæ noctis chaos suas quoq; in eadem damnasset tenebras. Acri vtrinq; studio pro MARIA fuisset certatum. Flagrasset bellis mutuis orcus & astra; tela vibrasset triumphatrix humani generis labes, tela quoq; torsisset victrix omnium thaumaturga gratia. Cui amabo victoria cessisset? si victor vterq; victus vterq; foret, foret quoq; MARIA, & sancta & peccatrix; & pulchra & sordida, & DEI Mater, & stygis filia. Quantum verò hoc, quamq; inuisum, inauditum, horridum, ipsi naturæ expauescendum monstrum! iurata rerum aduersissimarū odia in eam conspirasse Virginem, quæ pulcherrima sit formanda: infensissimos, & æternis flagrantes litibus hostes

in

in eam conuenisse Virginem, quæ Arca fœderis, pacis DEVM inter & hominem initæ idea sit statuenda; summæ turpitudinis & infamis ignominiæ omnia dedecora in eam confluxisse; quæ venustissima & Cœlitum hominumq; formosissima sit fingenda, Non sic certè,

Non sic Herculeo prostrata illa hydra furore
Infami terras fædarat nomine monstrum,
Non sic turpis Erinnis erat, monstrosaq; Virgo
Igniuomo teter quam fudit Cerberus ore.

Non sic quidquid monstri orcus vnquã aluit, quidquid furiæ, artifex fabularum finxit antiquitas turpe fuit; non sic naturæ rerumq; omnium fædera, sancita, & ipsius humanæ mentis leges, proculcari vnquam potuissent, sicut in vna contaminatæ Virginis labe, vniuersa reuixissent monstra, omnia fuissent extincta, atq; pessum iuissent nanaturæ atq; necessitudinum Sacramenta. Facilius factu naturæ leges admiserint, vt

In caput alta suum, labantur ab æquore retro
Flumina; conuersis Solq; recurrat equis,
Terra ferat stellas, Cælum scindatur aratro
Vnda ferat flammas; & ferat ignis aquas

Quàm vt MARIANO ortui vel tenuissima vetustæ noxæ fuerit aspersa labes. Faciliore negotio dabunt Ægyptiorũ annales, vt Herculeis manibus clauam extorserit victrix omnium stygia potestas, quàm vt concedat bene sana orthodoxorum veritas, MARIANIS manibus ereptum illud fuisse sceptrum, cuius ope, vt Princeps & Angelus Theologorum D. Thomas loquitur, anima naturæ imperat vniuersæ. Facilius dabit Vatum fides, vt Tantalus luden-

tis arboris decerpat poma, quàm vt quisquam concedat innocuas Virginis manus ad fatale illud Paradisi malum fuisse extensas. Facilius fieri posse naturæ indagator Philosophus arbitrabitur, vt aquarum abyssos, maria, flamma tenuis exurat, quàm vt gratiarum & omnigenæ puritatis mare MARIAM, scintilla auiti incendij exsiccârit. Ante Astronomorum dogma concedet, vt eadem regio ortus sit & occasus, quàm vt quispiam asserat, in ortu MARIANI solis, diuinæ lumen gratiæ occidisse. Potiori iure futurum dicet Oratorum lumen Tullius, vt lex nata, quam non didicimus aut legimus, sed ex ipsa natura accepimus, hausimus, & expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus; vt inquam lex naturæ suffragio stabilita, infringatur: quam vt hostium manibus permittat Matrem is filius, qui & legem natam condidit ipse, & sua promptissima in Matrem obseruantia, eandem immortali Sacramento confirmauit. Æquius deniq; esse dabunt suo cum Iustino Iuris Consulti, ne Augusta gaudeat Priuilegio Principis, neuè Imperator eadem Priuilegia tribuat Augustæ, quæ & ipse habet; quàm vt suspicemur tantâ flagrasse inuidiâ Filium in Matrem, vt concolorẽ candidæ mentis Maiestatem non fauerit Principi Parenti. Iniquum certè est, ex Iurisperitorum sententia, Patrem vel Matrem egere, cuius filius sit in facultatibus: iniquius etiam multò est, Parentes crudeli hostium iugo mancipare, quorum regia soboles iura dicit populis: iniquissimum verò censetur, Capiti Iurisperitorum Iustino, opprobrijs proscindi per Filij dissimulationem Matrem è cuius honore vel opprobrio colitur vel despicitur natus. At quid dicam? si Domina gentium, re-

gnorum

gnorum Imperatrix, optimis quibusq; melior, sanctissimis sanctior, solo Ter Maximo minor, extremâ diuinarũ opum laboret penuriâ, & Filius amplissimas inter diuitias delitietur: si colla tartareo submittat iugo Mater, & Filius imperij habenas capessat: si publicis Apostatarum spirituum sannis excipiatur Parens, & nomen Filij cælestium, terrestrium & inferorum flexo colatur poplite? Prius certè, priùs orbis credet,

Quadrupedesq; homines, cum pectore pectora iunctos,

Quàm in pectore MARIANO turpissimum peccati mõstrum recubuisse, Citiùs fatebitur,

Tergeminumq; virum, tergeminumq; canem

quàm Mulierem illam, quæ virum circumdedit, stygio fuisse mancipatam cani.

Sphingaq; & harpyas, serpentipedesq; Gygantes
Centimanumq; Gygem, semibouemq; virum

faciliùs admiserit, quàm peccati monstrum omnium fœdissimum in MARIA omnium pulcherrima olim extitisse. Et tamen nisi quis lectissimum Virginis animum paterno absoluat næuo, omnia terræ stygisq; monstra in orbem cieat, est necesse; & imma summis, celsa infimis, sacra profanis, ignes vndis, Cælum orco, Numen ter sacrum, ter exe-crandæ Erinni iungat oportet. Verùm audite diuina Ecclesiæ oracula, magnos illos doctrinæ & sanctitatis laureâ conspicuos Oratores, quale quantumq; puritatis miraculũ sentiant MARIAM. Illa est MARIA, quæ flos de spina, spinâ carens dicitur, Hieronymo. Illa puritate nitet MARIA quâ maior cogitari sub Deo nequit, teste Anselmo. Illa est candidissima Virgo quæ ab exordio suæ Conce-

ptionis,

ptionis, aſperſione Spiritus Sancti tota Deitatis gratiâ eſt perfuſa, teſte Cellenſi Abbate. Illa eſt MARIA quæ ſchola & collegium ſanctitatis appellatur à Chryſologo, conuentus virtutum nominatur à Damiano. Illa eſt MARIA, quam DEVM verum eſſe credidiſſet Dionyſius, niſi aliud diuina docuiſſent eloquia. Illa eſt MARIA, vt quanquam eſſet pulcherrima, à nullo tamen concupiſci potuerit docente Ambroſio. In tanta porro ſanctimonia quis næuos ſcrutetur, niſi in ſole cœcæ noctis caliginem ſe reperire poſſe credat? quis deformitatem in tanta pulchritudine indaget, niſi in ortu occaſum, in die noctem, in oceano flammas ſe piſcari poſſe autumet? O admirandum omnipotentis dexteræ facinus MARIA! ô Cæli terræq; prodigium ab orbe condito inauditum! ô intemeratæ pulchritudinis abyſſus diuiniſſima! Depingere vis animo ter ſacratiſſimum hoc æuiternæ Triados miraculum? ego certè cõcipere nec auſim nec poſſim, ita omnem conditi ingenij facultatem perſtringit, ſemper pulcherrima & ab omni labe remotiſſima DEIPARÆ maieſtas. Si quid pulchri amæniq; vnquam protulit venuſta florum genitrix tellus, ſi quos lectiſſimæ formæ & placidiſſimi odoris partus orbi edidit, ſi quæ oculorum amæna ſpectacula, veris gratias, vernantia hortorum ſidera, vllo vnquam tempore genuit: totum hoc in DEIPARA ceu in formoſiſſimo naturæ gratiæq; flore, diuina congeſſit munificentia. Si quid lucis ſtellatum illud collucentium gemmarum regnũ habet, ſi quid maieſtatis ipſe ſiderum imperator ſol oſtentat, ſi quid amœnitatis in amæniſſimo illo cœleſtium luminum theatro ſpectatur, totum hoc perfectiore modo in

Virgine

Virgine collegit artifex Cœlorum dextera. Si quid sanctimoniæ per humanas cœlestesq; mentes diuina liberalitas sparsit, si quid specialium donorum, si quid munerum vniuerso Cœli terræq; ambitu conclusit, si quid celsi, magnifici, diuinæ opes possident, totum hoc ornandæ Matri DEVS FILIVS impendit. Illa est quam ex celsissimarum virtutum ac gratiarum omnium pulchritudine conflatam, excitauit thaumaturga Maximi Numinis dextera, concepit rerum omnium idea diuina mens, amorum omnium & animorum amor beatissimus genuit, educauit virtutis altrix viriumq; parens omnipotentia, auxit liberalissimum donorum omnium pelagus DEI munificentia, confirmauit infractum diuini brachij robur, pauit cælestium delitiarum ambrosia; vt scilicet legum orthodoxarum seruaret integritatem, stabiliret religionum sanctimoniam, sceptra Regum moderaretur, pacis ac salutis publicæ tueretur incolumitatem. Quid igitur augustum, si MARIA non fuit semper augustissima? quid sanctum si MARIA non fuit semper sanctissima? quid pulchrum si MARIA non fuit semper pulcherrima? Cogitate bis senâ cælestiũ gemmarum coronâ ornatã Reginã; Regina hæc est MARIA ornatissima. Cogitate Palladem, cuius vim stygiæ expauescunt phalanges! Pallas hæc est MARIA fortissima. Proponite animis vestris Bellonã, cuius castra magnus exercituũ Imperator adeò ambiat, vt eius insignibus sua dedicet nomina, deuoueat trophæa, inscribat triumphos, Bellona hæc est MARIA, terribilis vt castrorũ acies ordinata. Recolite mente bellicosissimam Amazonem, cuius victricia signa, secutæ religiosarum mentium turmæ, ita triumphalibus

eius insistunt vestigijs, vt alij capitis integritatẽ exponant, alij linguam vice clypei obijciant; alij spinarum aculeis ceu telis contra inuiolatæ Matris hostes vtantur, alii ardentibus flammis incendia Cyprii Martis extinguant. Amazonum Princeps sed castissima iuxta ac fortissima Princeps est MARIA. Quis igitur stygias cohortes prostrauit? quis centimanos inferorum Gygantes vicit? si non prostrauit, si non vicit MARIA. Nulla in dominantium vultu dignitas, in Cæsarum soliis Maiestas; nulla in Cælorum astris pulchritudo, in vastissimis Poli spiritibus decor, si augusta, regia, venusta, decora, non fuit semper MARIA, Nunquam in ea discordes affectuum lites efferbuerunt, nunquam animi rebelles pugnarunt motus; non cæca offudit caligo subtilissimæ mentis aciem, non animi libera imperia seruiles subegerunt iræ, aut effrenes vicerunt cupiditates, aut ambitiosæ edomuerunt cogitationes, aut deniq; tempestas quæpiam turbulenti affectus agitauit. Fuit illa scimus, corpore mortalis, sorte communi condita, sed animo supra mortales omnes fuit euecta, virtute Numini fuit proxima, sanctimoniâ Cælitibus superior, gratiarum omniũ complexione, superis & inferis admiranda. Quisnam ergo mortalium DEO charus vnquam extitit, si MARIA DEO aliquando fuit odio? quis virtutibus fuit ornatus, si MARIA næuo deturpata? aut igitur ob omni næuo Virginem pulcherrimam absoluamus oportet; aut ipsam pulchritudinẽ pulchritudine exuamus, Maiestatem spoliemus Maiestate, puritati detrahamus puritatem. Quod quidem si quispiam per summam legum omnium & naturæ iniuriam temera-

rio

rio auſu attentet, næ ille omnia terræ, inferorum atq; vniuerſi orbis monſtra (Dicite) in orbē eſt prouecturus. Dixi.

Panegyris hæc, Anno 1666, fuit à Sodalitate MARIANA Collegij Brunsbergenſis Societatis IESV, inſcripta Reuerendiſsimo Clero Varmienſi, Dedicatione ſequenti.

MAximum orbis miraculum, DEIPARAM Virginem, ſine labe originali conceptam, breui panegyri vobis exhibemus legendam. Qui in abſolutiſſimo hoc diuini fauoris opere næuum ſcrutatur, tot monſtra fingat oportet, quot artifex monſtrorū antiquitas finxit nunquam. Non poteſt inter mortales venuſtiſſima, næuo contaminata argui, quin ipſa pulchritudo turpis, informis forma, venuſtas ſine venuſtate, ſanctitas grauiſſimo ſcelere ſe obſtrinxiſſe, portentoſo malè ſanæ mentis partu concipiatur. Sed dedimus hoc illibati ortus Virginei argumentū, ſuperiori dictione adumbratum. Propoſiti noſtri res modò eſt, grande MARIANÆ integritatis miraculum, reis vetuſtæ noxæ natalibus, ſine noxa ortum, Veſtris conſecrare manibus: vt quæ ter maxima Incarnati Numinis prodigia, ſacras ad aras toties tractant, MARIANVM quoque Auguſtiſſimum gratiæ & naturæ prodigium ſuâ complectantur beneuolentiâ. Par alia tanto miraculo dextera reperiri poterat nulla, quàm Thaumaturga, quàm Veſtra. Quæ patrandis miraculis iam aſſueta, hoc etiam non grauatè, vti confidimus, admittet. Noſtræ ad hæc obſeruantiæ in Patronos & Benefactores fauentiſſimos nomina plurima exigebant, vt quibus gratis obſequiorum ſtudio, coram eſſe non licet, liceret ſaltem in vicem debitæ gratitu-

 dinis,

dinis, laudibus MARIÆ eſſe diſertis. Admittite igitur, prodigioſum Sacræ Triados opus ab omni næuo non purgatum ſed præſeruatum. Admittite inquam, [ita ſupplex orat Sodalitas] orbis Dominam & Patronam, ſub fauoris & gratiæ veſtræ patrocinium. Quod ſi cultiſſimo cæli terræq; miraculo, labentis error calami, aliquam dictionis maculam fortè aſperſit, à ſacris Veſtris manibus, quibus toties ipſa cæli venuſtas DEVS ineſt, fiet ornatiſſimum.

COMITIA REGNI POLORVM

In Nazareth celebrata, Breui Panegyri expoſita.

DEDICATIO.

SVa ſunt terris regnorum Comitia, grauisſimi Procerum, Patriæq; Patrum conſeſſus, ampliſsimi Equitum & nobiliſsimorum Ciuium Ordines; ſua quoque ſunt Polis, altiſſima Cælitum Concilia, ſacra Diuiniſsimæ Triados Senatuſconſulta, magna & à ſæculis in DEO abſcondita Sacramenta. Scilicet nec cælum, licet in omnem orbis partem oculatiſſimum, temerè ſua præcipitat conſilia, aut pro arbitrio & affectus impetu, ſua condit decreta. Non rarò namq; integra euertit Regna, præcox conſilium, ſuſtulit indeliberato iuſſu exercitus, recteq; factorum gloriam, plurium annorum meritis comparatam, inopinata & æterna obliterauit macula. Sanum proinde corpus, non immeritò Plutarchus ex ſanis dignoſcebat conſiliis, grauem contra colligebat languorem, ſi affectus,

non

non ratio, regeret populos. Quemadmodum Cymmeriis necesse est omnia sepeliri tenebris, latere rerum venustatem, & tot orbis pulcherrima velari decora, si magnus ille cæli oculus, illustre sydus, sua non dispenset terris lumina; ita turbis & confusâ tumultuum caligine remp. inuolui oportet, vbi lux consiliorum, mentium non fugat tenebras. Ordinatissima Polorum Respublica, idea Regnorum omnium, & Comitiorum rectè instituendorum speculum; vt rei humanæ commodis prospiceret, & pericula salutis publicæ, in quæ mortales cæco Protoparentum ducti consilio, incidimus, auerteret: Comitiis in Nazareth coactis super grauissimo salutis nostræ tractauit negotio. Vt verò consiliorum confusio, quæ à multitudine timeri posset, caueretur, lectissimis vtriusq; partis Consiliariis, res vniuersa committitur decernenda. Porro quid vnanimi partium consensu sit conclusum, quid pro vindicanda humani nominis libertate, pro restauranda cælum inter terramq; amicitia, quid pro inauguratione Augustissimæ Virginis, in Polorum Terrarumq; Reginam decretum, breui oratione adumbratum, ceu rudem Comitiorum imaginem rerumq; gestarum seriem vobis legendam offerimus. Legite & alta mente reponite consilia, quæ Cælum Oratore Angelo, & Terra, partium humanarum Patronâ Virgine, pro communi mortalium emolumento iniuit. Suspicite venerabundi profusam Cælitum beneuolentiam, quam prodigioso planè amoris inuento, & inaudita amicitiæ necessitudine pro Comitiis prolixè sunt testati. Tantum boni, rebus humanis optant, donantq; quantum illi capere possunt, nos capere non possumus. Exhausto diuinarum opum ærario ad reparandas Generis Nostri collapsas fortunas, & redimenda maxima debitorum nomina; tandem ipsum

quoq; Numen, Deum Ter Optimum Maximum, perenni Sacramento, immortali iure, commodis nostris addixerunt.

Panegyris Allegorica
De B. MARIA Virgine ab Angelo salutata.

COmitia Regni Polorum, cælitum atq; mortalium Concilium, in quo fortunata inauguratione, in Reginam Dominamq; vniuersi, Imperatoria non minùs genere quàm virtute Virgo est electa, decreta orbis publica salus, composita perpetuo fœdere summorum Principum amicitia, exactus terris, humani nominis infensissimus hostis; comitia inquam, auspice è cœlis Magno Oratore feliciter inchoata, feliciore negotiorum tractatione continuata felicissimo mutui partium aduersarum consensus epilogo conclusa; in Nazareth, regia initi Deum inter & Hominem, connubij sede, nominatissima à florum Verisq; gratijs Metropoli celebrata, festiua hodie recolimus veneramurq; memoria Auditores.

Multis retro sæculis, quin ab ipsis Orbis conditi incunabulis, magnus hic Comitiorum dies, consultantium sæculorum conuentus, diuini humaniq; senatus consultū expectabatur. Oppressa misera seruitute regna, liberi nominis expetebant vindicias; collata diuinæ nobilitatis iura, restaurari obliteratam tanti stemmatis petebant imaginem: omnia demum quæ olim sancita polos inter atq; terras steterunt, firmari sacro hocce comitiorum consulto exoptabant. Adest polis submissus Nuntius, cælestis consilij & negotiorum baiulus, diuini connubij paranymphus,

phus, cui, cælũ terris conciliandi, & concordi cælitũ voto, Virginẽ, imperij vtriusq; Principem deligendi, integerrima concessa est potestas. Ingreditur Nazareth altissimis consilijs destinatam comitiorum vrbem, ipsâ sui nominis gloriâ, toto florentissimam orbe. Meritò amænam florum patriam dixero, in qua, decoctus humanæ nobilitatis flos, iterum à pluuio gratiis cælo refloruit: meritò vrbium omnium caput, & Dominam apellauero, in qua, Regiam primò fixit sedem DEVS, in terris hospes: meritò Martium Bellonæ campum, in quo, calcibus fœminæ protritus est hostis, qui superbo ausu, manum in caput generis humani extulerat: meritò Regale coronati Principis solium, in quo primùm cœpit apparere publico & mortalium sensibus vsurpari, nemini hactenus spectata Maiestas. Et iam Polorum Caduceator, Orator Diuinissimæ Triados, & Legatus commissa orditur proponere in Comitiis negotia. Fortunato vt ominor, exordio, quod auspicatur à salute & gratia. Procul hinc diffidentium partium studia, personata bono publico priuatorum emolumenta, procul factionum monstra, versipellium ingeniorum partus, è Stygijs antris euocata consilia, fraudum mendaciorumq; adorata oracula. Gratia comitiorum Præses, & Primas est, firmum vinculum animorum, concordiæ conciliatrix, amorum nutrimentum amicitiæ parens, bonorum omnium communicatrix. Nullus hic odij diffidijq; locus esse potest, quem plenitudo gratiæ præoccupauit: vbi pleno pectore, Cælitum fauores, humanarum partium Patrona, Virgo collegit: nullus ementitis commune bonum priuatis commodis; vbi de regnorum

omnium

omnium atq; adeò orbis vniuersi vita, consulitur: nullus speciosis factionum consilijs; vbi immortali decreto, à seculis fixa stat publicæ salutis sententia. Quoniam verò optima comitiorum ratio est, altissimo concredere arcano, consilia; ne si publicâ circumferantur aurâ, & per omnium ora volitent, ad longas, & ad aliena vsq; regna exporrectas, hostium externorumq; aures deueniant; igitur paucissimorum quoq; stant consilijs inita comitia. Quemadmodum enim vt augusta moles assurgat, alta humo defoditur basis; ita consiliorum momenta, quibus publicæ rei cardo vertitur, & tota ciuium salus innititur, profunda firmare deliberatione & altissimo occultare silentio oportet. Facile subruitur machina, quæ aperto superstat solo: facile conuelluntur consilia, senatusq; consulta quæ popularis auræ permittuntur arbitrio. Principem vitæ sedem cor, è quo in cætera, viuendi vigor propagatur, multis vndiq; fibris, & occultis permeantium spirituum flexibus, natura implicuit. Adeo latentibus omnino consilijs, vitæ beneficium, in vniuersam corporis humani rempublicam, natura dispensat! Qui igitur in ciuili regnorum corpore, media summis, infima medijs, domestica pace vult cohærere; qui firma valetudine vigere corporis artus, ritè recteq; statis fungi munijs; qui Principem regni partem, Caput, optat serenum: perspicaces in periculis commodisq; prospiciendis oculos, impauidum ad discrimina pectus, promptas ad confligendum manus, stabiles paresq; ferendo patriæ oneri, subditorum pedes; is profectò sana Procerum consilia ignotis vulgo comitijs, ceu latentibus venis, spirituum vitæq; vigorem ad animandos fouendosq;

Reipub.

Reipub. artus diſpenſet eſt neceſſe. Ita cùm exanime iaceret à lethali vulnere mortale genus, vitæ beatioris ſenſu, ac nobilium gratiæ functionum officijs deſtitutum; occultiſſimo nulliq; mortalium cognito conſilio, magno ſcilicet & à ſæculis in D E O abſcondito Sacramento effectum eſt, vt diuini vigor Spiritus ad vniuerſos exanimis corporis artus reduceretur. Eluſa deniq; eſt arcano hoc conſultandi genere, hoſtium exſpectatio: quorũ iurata vota erant, quacunq; poſſent fraude & conatu, Cælitum atq; mortalium interturbare amicitiam; impedire priſtinæ ſortem felicitatis, & omni adlaborare operâ, ne collapſa ſempiterno cum dedecore generis noſtri propago, auito reſtitueretur honori. Fefellit inſolentem hoſtium ſpem, cõſilium altiſſimo ſemper conditum ſilentio: nec ante publicâ vulgatum famâ, quàm mutuo diuinarum humanarumq; partium conſenſu pro comitijs eſſet confirmatum, & irreuocabili ſtabilitum ſententia; ne vllâ tumultuantium aut refractariorum licentiâ infringi poſſet aut labefactari. Periculoſa ſcilicet & penè fatalis conſiliorum peſtis eſt, ſana Procerum ſenſa, æquo librata examine, & ad communis boni rationes, longa deliberatione expenſa, arbitrariæ populi licentiæ permittere. Hoc enimuerò eſt excuſſo nauis clauo, amoto nauigationis moderatore, nauim expanſis volitantem velis, fluctibus & ſcopulis committere. Hoc enimuerò eſt furenti inter bellica claſſica equo laxare habenas, vt militem inter medios hoſtium cuneos mortiſq; fauces inferat. Hoc demum eſt poſtquam maximo labore ſublimia erexeris vrbium mœnia & arcium præſidia, cuniculis ſub terram defoſſis momento vno, omnia

in auras explodere. Ita planè bonorũ omnium luctu accidere posset, si quæ pro aris & focis, pro capite & fortunis vniuersorum, optimi Reipub. Ciues, sinceri Patriæ Patres decernerent, effrenata cuiuspiam licentiâ, ceu subornatis clanculum cuniculis in tumultum abirent. Quantò melius Diuina Regni Polorum comitia, paucorum concredita fuerunt pectori? in quo suam quæq; pars salutem, tutò ausa est ponere. Quemadmodum olim confœderati in paterno pectore, infelices filij; vnius arbitrio, in perniciem consensimus; ita meliore sorte in Virginis incorruptæ voluntate, quæ sine fraude, sine dolo, sine priuatæ vtilitatis studio omnium complectebatur commoda, nostram securè deposuimus sententiam; vt illâ nutui Cælitũ obtemperante, nos alienæ referremus præmia obedientiæ, illâ in perpetua pacis fœdera annuente, nos DEO iungeremur; illâ humanæ cum diuina natura connubium adpromittente, nos nouo gratiæ partu filij adoptaremur, illâ communi suffragio in Reginam hominum cælitumq; adscitâ, nos in partem regni admitteremur socij; illa terris cælisq; imperante, nos misera seruitute redempti, sub eius præsidio tuti viueremus. Tanti est paucorum sincero pectori publica comittere consilia! Tanti est, quæ omnibus oportet esse communia, non diuulgare omnibus! quæ olim arbitro orbe & ipsis collaudantibus hostibus probabuntur, populari non proclamare sententia. Neq; hâc inutilior altera illa rectæ consultationis ratio est, eiusmodi Moderatorem deliberantium circulis præficere, penes quem & consilia regendi illustris sit prudentia, & conficiendis regnorum comitijs apta indoles magnorumq;
sectator

sectator animus, & deniq; complanandis altercantiū partium studijs non impar authoritas. Multùm nimirū refert qua prudentia & moderatione Præsidis, aduersæ partium dissertationes confligant, quàm sincero studio consiliorum Moderator in publicam feratur vtilitatē, quanta vi gratiaq; polleat in disceptantium animos, quàm scitè dextreq; sinistras in Rempub: mentes ad recti amorem possit flectere, quàm præsenti deniq; auxilio tumultuantium animos & effrænatas corrupta libertate voces componere. Quemadmodum enim humano jure sublimius quidpiam est, valere in liberas mentes imperio, nè beatissimū illud sentire quod velis, affini dissolutæ licentiæ vitio, contaminetur; neuè amplissimum illud Reipub: theatrum, regnatricis eloquentiæ forum, ac quædam veluti ingeniorum Academia [regnorū Comitia intelligo] in duella animorum, & sententiarum, in odiorum bellorumq; officinam mutetur: ita qui tanti muneris prouinciā maturâ consulendi regendiq; consulentes prudentiâ exæquauit, næ illum humanis celsiorē ingenijs, Angelicæ comparandū dignitati dixero. Et certè talem eum decebat esse qui cæli terræq; difficillimis conciliandi dissidijs, Numinis suffragio lectus, mensuram tanti Nuntij impleret. Impleueritnè verò polis submissus ad cœli terræq; comitia Orator, illustri argumento est sæculis omnibus fastisque in seram vsq; posterorum memoriam commendata, susceptæ expeditionis & felicissimè exantlatæ Prouincia. Ardebat Orbis bellis & litibus? ille pacem intulit, Martioq; mense auspicatus pacis negotia, Martio nomen Martis ademit. Flectendus erat obstinatus castimoniæ Sacramento animus in prodigiosæ Maternitatis assensum?

 flexit

flexit animorum flexanimâ ſuadâ Orator diſertiſſimus. Summa & Angelicis ſublimiora mentibus Myſteria Diuinæ Metamorphoſeos erant explananda? explanauit Diuinorum ſenſuum interpres facundiſſimus. Atq; vt omnia paucis complectar, eâ facundiâ legationis munere functus eſt, vt nullus Oratorum hactenus tam felici & ad rem appoſitâ dictionis Metaphorâ ſit vſus, quàm ille VERBVM feliciſſima translatione è ſinu Patris in Virginis vterum, è cælis in terram, è Regali ſolio in animos noſtros inſeruit. Iam quod attinet Auguſtiſſimæ Virginis in Reginam Polorum Populorumq; Dominam inaugurationem; ſummâ omniũ lætitiâ votorumq; conſpiratione perfecta eſt atq; conſummata. Neq; enim vllus in dubium vocare poterat, eam populis regendis admouendam, quæ Matris prærogatiuâ imperaret Numini; ſolio Reginam extollendam, cui domeſticorum honorum cenſum, multis retro temporibus, Regnatrix Familia, in vicem ſuffragij ſuppeditabat; coronâ regni cæteriſq; imperij inſignibus exornandam, cui à primis incunabulis tot Principum & Dynaſtarum venerabundo cultu ſubſternebantur diademata. An non ſupremo Imperatricis dignitatis honori erat admouenda? quæ inſolito ſubmiſſionis teſtimonio inter vilia ancillaris ſortis cognomenta, Reginæ nomina depoſuit An non ad jura dicenda populis prouehenda? quæ iam prompto obſequio in Numinis nutus inclinauit ſententiam. Et quæ in Reginam alia legeretur Virgo, ſi non legeretur MARIA? quæ polorum ſiderumq; inſignia mereretur? ſi non mereretur illa, cuius plantas ſupplex adorat Cynthia, cuius corpori maieſtatem vndiq; paludamenti loco

impe-

imperatorium ſydus explicat, cuius verticem bis ſena cingunt cœleſtium gemmarum ornamenta. Quæ digna imperio, populis grata, cœlis expetita, vniuerſis Superûm hominumq; ordinibus exoptata? ſi non grata, gratijs plena; ſi non digna, DEO proxima; ſi non exoptata, ſæcolorum omnium deſiderium, ſi non expetita, mortalium omnium aſylum. Annon videbatur emeiſiſſe dies, vt extrema ad feſtinationem vniuerſalis ruinæ, produceret, libertatem impulſu vltimæ ſeruitutis fatigaret, nutantem humanæ rei ſtatum penitus conuelleret, niſi imperio ſupponeret ſocios humeros MARIA? Nihil ad pacis publicæ negotium poterant humanarum cognationum iura, nihil neceſſitudines familiarum, nihil veterum Patrum, Maiorumque longa merita, niſi Regia poteſtate ſublimis Virgo, noua admitteret humanæ diuinæq; cognationis fædera. Infirma totius naturæ vincula erant, ad ſpem humanæ tranquillitatis; Supremi diſcriminis cogitatio, perbreues ferias ab interitu perſuadebat, niſi Virgo ruentibus in præceps populis pectus in præſidium obijceret. In MARIAM igitur omnibus animi votis, ſummi infimiq; feruntur ordines, hanc ſuam regnorumq; Principem eſſe volunt; non quod ipsâ Imperij fortunâ egeat, cui hæreditaria in filio polorum ſedes eſt; ſed quod omnes altiſſimam terrarum pacem ſperemus ſub MARIÆ patrocinio. Ergo Auguſta polorum ſoliq; Regina Virgo, triumphalem ſedem iam conſcende, & dum auitâ Maiorũ gloriâ, Tuaq; virtute ſublimis inter acclamationes oculoſq; admirantium effulges ſolio, venerabundam ab vtraq; parte accipe gratulationem. Rege, Regna, Impera,

pera, Princeps, Regina, Imperatrix, Cœlitum, terrigenum, inferorumq;. Et quam in Te orbis vterq; communi suffragio personam deposuit, splendidè miseris exhibe. Habes ad hoc collectum maxima gratiarum profusione comitatum, qui numero amplus, apparatu diues, insignis cultu. Tua stipat latera, exornat pectus, longe lateq; regiam ostentat Maiestatem. Video iam in confinia effusos coelitum exercitus, qui Te admirantur; video vndare illos syderum exultantium campos, nouâ insolitæ lucis pompâ concertantes. Video oppletas terrestris ordinis occursu vias ad Neo Reginæ honoris primitias exhibendas. Quaquaversum perges, subditorum vbiq; calcabis deuotam Tibi ditionem. Nulla non via latè diducto itinere, vestigia regijs plantis aperit: sed omnium patentissimum in Tuorum pectora habes ingressum. Dixi.

EXPEDITIO ROMANA B. STANISLAI KOSTKA

Allegorica Panegyri adumbrata.

POst relatas de stygio cane tergeminas victorias, post præclara magnorum ausuum in Austriaci orbis theatro, data specimina; post calcata patris fratrisq; acerbissima odia: tandem ad triumphale trophæum, quod in Romanis collibus, Dux erexit Ignatius, iter apparat, Victor STANISLAVS. Auditores. Obtentâ nimirum in Austriacis campis victoriâ, ad Romanam atq;

Imperatoriam triumphantium arcem, cæli monitu, provehitur. Vt toti ſpectanda orbi, celſiſſima victoris virtus effulgeat, Principis in orbe vrbis faſtigio, eam decet attolli. Cum inferorum Ducem, Cerberi furias mentitum, ter acie exuiſſet; Romanæ inferorum victrici Petræ, victoriæ ſuæ trophæa inſculpturus, Romam contendit. Verùm ſiſte Magnanime inferorum Victor Stanislae! In ipſo victoriæ aditu, noua triumphanti ineunda ſunt prælia Vt triumphalem benè geſti prælij lauream cæli voce Tibi deſtinatam, Romæ occupes; iterum per bella perq́, mille bellorum diſcrimina eſt eundum. Bello victoria occupanda eſt, nouoq; conflictu triumphus celebrandus. Neq; iam domeſticos inter lares, lectulo affixus, cum tricipite certabis Cerbero, ſed totâ Germaniâ atq; Italiâ immenſam aduerſantium aciem ſuſtinebis. Compara imperterritum ad inſtantem pugnam pectus & quo potiſſimùm ſtratagemate, ſuprema belli alea ſit tentanda, diſcute maturè. Quid agit Stanislaus, grauiſſimum belli molimen, auſpicatò exorſurus? Ne difficillimæ expeditioni bellicæ, quæ in longa atq́; peregrina regionum itinera eſt extrahenda, bellicus deſit commeatus accuratè annonâ ſeſe præmunit Euchariſticâ. Quis fortiſſimum hunc iam ſuperet Achillem? quem veriùs leonum medullis paſtum dixerim, quando vincentem Iudæ leonem in militarem ſumpſit alimoniam, quàm fabuloſum illum Chironis alumnum, leonino paſtum pectore, veteres comminiſcuntur Poëtæ. Ambulabit certè in fortitudine cibi huius, per terras peregrino ſole calentes, contra hoſtium omnium incurſus impauidus; cui leoni-

nus

nus cibus iste non modò militaris congiarij loco futurus est, sed Dux etiam viarum & militiæ Princeps. Quàm fortunato ausu, magnanimo pectore, in hostem mouebit Stanislaus, cui ad ineundam pugnam cælitus alimonia submittitur? Et iam Bellonæ cœlestis cœlorumq; Reginæ hortatu, vt militiæ Societatis IESV sese accingat, quasi classicum ad pugnam occinitur. Perge diuinissime Heros, cælitùs ad prælium inaugurate! Si Polonæ non præuolant Aquilæ in augurium fortunati successus, habes è polis aduenas, candidissimos cygnos, Angelicos spiritus, qui cælico candore, cælestem Militiæ IESV Candidatum, non dubio omine præsagiunt. Ne dubites cœli auxilio, rem prosperè gerendam, quæ cæpta est non obscuro cæli consilio. Non fallunt sequaces ad Imperia animos, Cælitum promissa. Tàm felicem esse licet, quàm placet esse obsequiosum. Non sunt auxilio præsidioq; inania, quæ veniunt ab astris consilia. Video Auditores; hodie etiamnum, quod multis retro annis accidit, ingenioso pictorum calamo, iconi Herois nostri, turrium quæpiam præsidia, & Angelicas copias cælestem commeatum secum deuehentes, passim adstrui. Num hæc ipsa suppetiarum cælitùs submissarum monumenta, ad immortalem posterorum memoriam consignata crediderim? an forte familiarem D. STANISLAI cum cælitibus consuetudinem, tàm arcta ligatam Societate, vt eidem mensæ cum Angelis accumbat, & eodem quo vescuntur alimento Angeli, alatur Angelorum amicissimus & intimus Stanislaus? Quicquid piæ commentationis, non minùs ingenioso quàm sincero pictorij operis monumento subesse possit,

possit, integerrimam deuotis animis facio sentiendi potestatem Hoc luculenta fide palam asserere ausim, per turrium illa adumbrata præsidia & cælestes phalanges, diuinâ instructas annonâ Castra Herois nostri, indubio effigiari testimonio. Familiare est gnaris militiæ Ducibus, bellica consilia, alto celare silentio, aut ementitâ ad fraudem facie ita colorare, vt incautum & ad alia intentum hostem inopino ludant stratagemate. Sic magnis ab Austria Heroibus Belgijque Principibus, teste Historicorum cultissimo Strada, sæpe desperata, ad votum tamen cecidit belli alea, dum rei gerendæ seriem lectissimis, & quos longa Sacramenti militaris fides probasset, concredebant. Ita vnus ille Græcorum & Orbis Magnus Alexander, etsi plurimos numeraret copiarum Duces, teste Curtio, paucissimos tamen censebat bellici Senatus consiliarios. Nullis enim patent domesticorum fraudibus consilia, quæ ex arcano prodeunt; & insperato Ducis iussu, diuturna rimandi otia præcidunt. Ad genium & celsam Heroum indolem factus Beatus Stanislaus, vt susceptæ expeditionis arcana latebris inuolueret, lacernâ mendicabuli tectus, prodijt in campum. Quis hoc cultu in hostem mouere crederet ? quis sub vili amiculo , regium Codri stratagema suspicaretur ? Latet inopiæ apparatu securus, quem ne sol quidem, luce meridiana insequentium oculis potuit detegere. Ita paupere induti lacernâ, virtutem publico æquè ac periculo eximimus. At fucato vestium splendore illustres, facile in prædam spectatores vocamus oculos. Pergit graui vanitatis pondere deposito, exauthoratus seculi miles; vt qui contra fe-

roces Orci impetus pugnam edixerat, nudus cum nudis luctam ineat. Nihil enim maligni spiritus, docente Magno Gregorio, proprium in hoc seculo possident. Qui ergo contra laruatas stygis furias ad certamen properabat; meritò terrena omnia, tanquam corporis indumenta abiecit, ne sucumberet; Pergit inauguratus ab astris, sacræ Militiæ Candidatus, prouocante, quæ in pectore gliscebat, virtute; ardentibus flagrantis animi desiderijs, ceu euibratis in hostem ignibus, anhelante atque in æthera subnixo spiritu, ceu ignitis excussis iaculis. Et iam è longinquo Romana Ignatij Castra, flagrantissimis desiderijs ceu arcta obsidione vndiq; cingit. Assurgunt interim aduersa acie, contra obsidionem erecta, alta rupium cacumina, infirmo & malè stabili vix superanda vestigio. Verùm non fallit, Stanislaum rupes scandentem, vestigium, qui nunquam reuocando gradu, virtutis tenebat tramitem. Non terret illum, vix oculis metienda, cacuminum altitudo, qui æthere tunc altior incedebat. Non retrahunt anfractuum & mille flexuum mæandri, quem securum de recto tramite reddebat viarum augustia. Nullo nimirum itinere rectiùs ad virtutum ardua contendimus quàm angustissimo. Licentiosa immoderati animi spatia, confinia sunt vitiorum, virtutumq; præcipitia. Vt magnis passibus ad virtutis metam eluctemur, licentiam in deuia exerrandi, angusto tramite iubet circumscribere Philosophus Romanus. Minus enim periculi est, ubi minùs est libertatis. Qui molli dextera effusum in pericula animum tractat, præcipiti impetu agit in ruinam. Vix ferulæ minaces & arcta Moderatorum imperia quandoq;
valent

valent, vbi ſpatioſa inualuit in ſcelera, licentia. Viarum igitur & mille difficultatum anguſtijs, ceu regio virtutis tramite circumſeptus Stanislaus, ſecuro paſſu, immenſum gloriæ calcabat iter. Artubus defeſſus, ſed infractus virtute; robore infirmus, ſed ipſa robuſtus infirmitate: ſtabat ſexcentos inter caſus, animo ſupra mortalia caducaque omnia erectus, nec, ſi fractus illaberetur orbis, opprimendus ruinâ. Ea ſcilicet eſt comparati non modò ad pugnam, verùm etiam obſtinati ad prehendendā victoriam animi vis, vt (quod ſolenne Annibalis dictum fuiſſe memorat Liuius) non ante campo excedat, quàm aut viuâ obtineat palmam dextrâ, aut inexpugnabili immoriatur ferro. Et verò nullo circumſtantium à fronte tergo atq; latere, hoſtium impetu, tenax cœpti animus, ſuam elidi patiebatur conſtantiam. Vrgebat indefeſſo conatu, grauiſſimæ expeditionis molem, & victricia per Auſtriam & Germaniam caſtra, ſenſim Romanæ obſidioni propiùs admouebat. Difficillima & penè deſperata putabatur deditio; partim quod ingens belli tempeſtas è Polonia timeretur, ſi Stanislao ad Ignatij caſtra, pateret aditus; partim quòd aduerſas difficultatum copias non crederetur conſtanti impetu perrupturus. At nihil intentatum reliquit Stanislaus; quod videbatur ad eorum animos expugnandos facere, penes quos nôrat reſidere dedendi poteſtatem: Quoniam verò belli genus erat eiuſmodi, quod virtute non armis, animo non dextera, firma in virtutem voluntate, non ſtricto in hoſtem ferro gerebatur: innumeras lectiſſimaſq; Virtutum copias, quibus obſtacula omnia atq; impedimenta perrumperet, per

vniuersam Germaniam atq; Italiam circumduxit. Et quid solida longoq; exercitata discrimine virtus non possit expugnare? Diuino quodam robore valet in arbitratus nostros, teste Paterculo, quos cùm nulla minarum aut opum vis flexerit, nutu suo triumphat virtus. Suspendi, differri imperium illius potest, sed eludi & elidi non potest. Premi, periclitari, fluctuare quandoq; solet; sed opprimi, succumbere, naufragari, mergi potest nunquam. Venit tandem hora, quâ sub triumphatricis fasces, prospera atq; aduersa omnia suas submittunt acies. Atq; hoc sinceræ virtutis robore succinctus Stanislaus, facilè vniuersum prosperæ & aduersæ fortunæ, exercitum profligauit. Cuniculorum vice, quos euertendis turrium mœniumq; machinis, militaris supplantat industria, Stanislaus profundissima submissione & seruilibus obsequijs, [quæ immortali venerabitur memoria Dilinga,] machinas difficultatum omnium, ceu opposita votis suis mœnia, ex ipsis planè fundamentis disturbauit atq; inexspectato triumpho in auras displosit. Instantissimis adeundæ Societatis desiderijs, nullâ vnquam fractis repulsâ, quasi validissimis balistis contra repagula omnia arietabat; donec tandem arctissima hacce, rogandi, instandi, vrgendiq; obsidione, eò Moderatorum animos flexit, vt Romanam dederent stationem, atq; militandi in castris Ignatij copiam facerent. Quis tum Stanislai animus, quæ animi lætitia, qui lætantis triumphi plaususq; fuerint, difficile est oratione complecti. Ipse suas non capiebat vices, neq; satis poterat animum explere gaudio, quod tandem aliquando, post tot discrimina rerum, tandem in tuto se locas-

locasset. Ingens gaudiorum vis est, tunc potissimum, vbi longo conflictu lacessita virtus, victrix aciem tenuerit. Ex æquo ferme, gaudiorum malorumq; diuisi sunt sensus: vt quo acrior animum exstimulauerit ærumnarum perpessio hôc sublimior vulneri medeatur felicitas. Sed ecce ferreos torques & vincula, ferreus in filium Parens, minacibus intentat literis, ni Religiosa decedat statione, recens inauthoratus Ignatij miles. Verùm ferro potiùs firmat militare pectus, quàm emolliat ad defectionē. Maius Religioso pectori à seruilibus ferri vinculis authoramentum, affore existimat, quàm mutuari se credat, à collecto tot sæculis, domestico splendorum censu. Stabit ille super victrice Romana Inferorum Petra immotus; neq; vllis ferreorum compedum terriculamentis à statione demoueri poterit, donec ad aureos præmiorum torques, in Cœleste Beatorum Capitolium, eius ope assumatur, cuius hortatu difficillimam hanc suscepit finiuitq; expeditionem.

Oblata fuit hæc Panegyris Sodalitati B. MARIÆ Virginis anno 1669 Brunsbergæ: sequenti Præfatione.

EXpeditionem Romanam, Illustris à Natalibus & Virtute Herois, Vobis præsento, qui in sublimi fortunæ fastigio positus, ad vestigia Religiosæ sortis calcato sæculo sese demisit. Sodales MARIANI *Præcipitantis fortunæ casus est, in sublime elatum, inopino subrui motu, at libero virtutis passu, honorum apices calcare, id demum Principem & ad alta natam sapit indolem. Facile est gratiæ præsidio attolli, difficile firmam labentis gratiæ tenere stationem, at difficillimum, cùm secura possis gaudere sorte, contemnere ex alto virtutis genio, fortunæ celsitudinem. Ea præditum indole, celsoq;*

planè virtutis genio. D. STANISLAVM, testatur suscepta & feliciter exantlata, renitentibus domesticis, Romana Expeditio. Prensabant ambabus manibus, magnum Illustrissimæ domus decus Fortuna & Honor; & quàm sublimi essent repositura sorte, tantorum decorum Hæredem; magnis lactabant vniuersæ Familiæ promissis. Sed in religiosæ felicitatis conditionē, non humano, oculo intentus STANSILAVS, IGNATII Lacernâ orbem triumphare maluit, quàm auitis Kostkarum splendoribus, ad pauca temporum momenta effulgere, ac demū in communi mortalium omnium puluere euanescere. Admittite tantæ virtutis fastigia, venerabundo cultū gratoq; animo Sodales Partheniј; quæ ego Oratorij calami obsequio in immortalem tanti Herois memoriam, & vestram ad virtutis amorem, accendendam æmulationem adumbraui. Si ad tantam celsitudinem humilis non satis assurrexit calamus, vos pietatis vestræ in Diuum amplitudine, dictionis tenuitatem supplete.

Magnum & à Seculis absconditum in Deo Sacramentū, seu intima Deum inter & hominē Amicitia In Arca Foederis *VIRGINE DEIPARA, Angelo Caduceatore, conclusa, & Breui Oratione, exposita.*

Anno à conclusa Cœlum inter & Terram Amicitia 1667. Octauo Kal. Aprilis, Brunopoli.

AN sub diuerso cœlo nata ingenia mutuis possent coalescere affectibus, doctissimæ olim disputarunt Athenæ, Præside & Magno Magistro Solone. Auditores. Sua & magna rationum momenta, negantibus; sua quoq; & potiora

fuerunt

fuerunt afferentibus. Illi parem morum cultum, patrij cognationem ſanguinis, communem dicendi & degendi conſuetudinem, à diuerſis aſtris trahi non poſſe contendebant, & quia non poſſent, nullum mutuæ neceſſitudinis vinculum vnquam futurum ſtatuebant: hi ampliora amicitiæ iura, liberiores amoris & animorum affectus opponebant, quàm vt patrij ſoli ſinu duntaxat arctarentur. Feruebant doctiſſimæ lites, ſapientum ingenijs & alternantibus diſputantium ſententijs animatæ: donec vno Solonis ore, ceu ipſius Spientiæ oraculo, patrios ſinus amantium, affectata exanimaretur opinio. Stetit igitur Athenarum tanquam orbis vniuerſi iudicio; nullo gentium aut ſyderum ambitu, circumſcripta eſſe amicitiæ Sacramenta. Non aſtra, non aſtrorum Principem, libero amantium arbitratui dominari, ſed potiùs ſi ſapientũ amores ſint, ipſis etiam imperaturos ſyderibus.

Sincero, an ſiniſtro fortè affectu, Græcorum Lycea concluſerint, noſtra & ſuperiora noſtris ſæcula necdum deciderunt. Hoc viris ſincerè in cauſa amicitiæ ſentientibus; potiſſimùm autem, eloquentiæ Parenti, Magnoq; amicitiæ Mecænati Lelio, indubitatum eſt, orbis totius amplitudinem anguſtam eſſe amantium affectibus. Nulla hîc iura dici poſſe ab aſtris, nulla à corporum temperamento, nulla à morũ patrijq; ritus diſſidijs; quò minùs animis iungantur, quos terræ ſpatia, populares ritus, ſiderũ diuerſitas diſtraxerunt. Verùm vtrùm mortalis amicitiæ iura, Superorũ neceſſitudini coæquanda ſint, nondũ Athenis & è Sapientum Athenæis theſis prodijt. Laborauit ſuper hoc argumento orbis Theologicus & altitudine veritatis feſſus,

recubuit

recubuit solius fidei fultus præsidio. Mysterium omnibus altius est ingenijs, nulli etiam subtilissimorum Spirituum perspicaciæ cognitũ, à sæculis absconditum in Deo. Scilicet amores humanos ad diuini pectoris fastigia posse pertingere, & eo quidem pertingere ausu, vt in mutua mortalis carnis vincula Deum pertrahant. Pertraxit tamen victor inuicti pectoris amor, & Maiestatem sæculis astrisq; dominantẽ, pulueri nostro miscuit nexu amicissimo. Subscripsimus sanguine nostro tantæ amicitiæ, quam etiam calamus Scribæ velociter scribentis ad perennem initi fæderis memoriam in Arca fœderis Deipara Virgine consignauit. Quid dicam? Amicorum legibus exorbitarunt iura amicitiæ? violata sunt æterna animorum fœdera? quando dispare cultu, immensis distractos interuallis, naturâ ipsâ dissitos, amor in arctissimæ coniunctionis vincula compegit? Minimè. Quid possit Dominator vniuersorũ amor, quid vis amantium valeat, nouo hoc amicitiæ prototypo didicimus. Effracta sunt, fateor, obsistentis naturæ repagula, emoliti rerum diuersissimarum obices, celsissima infimis cesserunt, infima celsissimis sunt æquata, puluis gemmæ instar, diuino insedit diademati, mortalitas æternitati se miscuit, corpus è limo compactum, angelica superuectum est solia Quid ergo? Pessum iuerunt sancita amicitiæ? Quod nimirum iurata odia, inti mis amoribus sunt stabilia? Minimè. Triumphat Superos, & ferreas naturæ leges perrupit aureus amor. Nullam huic amicitiæ legem statuat Sophocles, non iura mutuæ beneuolentiæ alleget Lelius, non boni communionem Regiæ amicitiæ institutor Aristoteles, non sanguinis, patriæ,

triæ, conſuetudinis vincula, requirat in Lelij diſſertationibus, Romani & vniuerſi orbis Orator Tullius. Omnibus enim communis amicitiæ legibus hæc amicitia eſt ſoluta, ſed omnibus amoris numeris eſt abſolutiſſima. Sint ſanè naturæ interuallis, fortunæ faſtigio, honorum cenſu, opum ornamentis, maximè diſpares: limo & puluere progenitus homo, ſæculorum & naturæ author Deus: at amoris ingenioſiſſima indole, nobile hoc & ignobile, par & impar naturarum, ita coniunctum eſt, vt quòd amicitiæ amplitudinem ſuperare videtur, ampliſſimas amoris ſine lege leges nequaquàm ſuperet. Colliſit antiquitatis & ſapientiæ oraculum Pythagoras, diſparia pretio & indole metalla; argento ferrum, nobili ignobile, pretioſũ vili commiſit. Tantũ tamen abeſt, vt ſorte diſſimilia, naturis diſſita, dignitate imparia aduerſos gignerent ſonos: vt potiùs in argenti amicitia ſuam mutaret indolẽ ferrũ, & ab argenti coiunctione, ferrum reſonaret argento. Diſcrepat humile vocis murmur, à concinnis & ſublimè petentibus modulis: tantum tamen abeſt, vt diſſonis diſcrepent vocibus, vt potiùs nil hâc concordi vocum diſcordia ſit gratius, nil hac diſcordi concinentiũ concordia ſit iucundius. Laborat Muſurgorũ Schola in ſcita concentûs gratia, ſed nullos auribus vnquã fauentiores dedit modulos, quàm ab ipſa diſſidentiũ vocũ cõtentione & vniformis toni odio petitos.

Sic ad ima vſq; Tartara deſcendat licet, vox auita, quæ rauco à pomo gutture prodijt: at ſi amoris cythara, è ſublimi montis faſtigio reſonet, ſi nouus à polo Apollo ſeptenis concinat Patri vocibus, totus vtiq; è canentis ore orbis pendebit attonitus. Sic ferream licet induerit

indo-

indolem, obſtinatum aſtris pectus mortale, at candidi ſuauitate metalli reſonabit, vbi dilecto illi, qui non modò totus candidus eſt, ſed ipſe etiam lucis æternæ candor, fuerit coniunctum. Verùm enimverò duorum complexu animorum, amicus amor totam explet amandi neceſſitudinem; quomodò verò, ſi hominum, quorum immenſus propè eſt numerus, familiare ambiat ſtudium, quomodo inquam in tantæ turbæ diſſidijs, vnanime mentium & ſtudiorum coaleſcet vinculum? Quomodo abeuntibus in diuerſa animis, delicatus amoris nexus non rumpetur? Iurauerant in perpetua iura amicitiæ, Pilades & Oreſtes, ſed duorum numero, totam amoris ſphæram definiuerant. Subſcripſerant æternis amandi legibus, animo & ſanguine Caſtor & Pollux, ſed tertij nomina perenni odio eiurauerant. Iungebatur Æneæ fidus Achates, ſed bina tantùm pectora, amica iunxerat fides. Deficit vel ampliſſimum aquis flumen, ſi innumeris diuidatur riuulis. Deficit latè ſparſum incendium, ſi ſudes diuidas ſingulas. Deficiunt etiam regiæ cum robore opes, vbi numeroſior Principum ſoboles, paterna imperia in partes diſtinxerit. Multitudine & numero, rerum pretia decreſcunt, & ipſa vileſcerent diademata, ſi augerentur. Aurum ferro, pari pretio æquaretur, niſi illud raritas, hoc copia diſtingueret. Sparſus igitur per tot pectora, amoris igniculus, quomodo non in ipſa deficiat copia, & in tanto non minuatur numero? Circumſcripti amoris hoc argumentum eſt non inualidum; at contra ambientem cæli terræq; ſpatia, valet nihil. Neq; omnibus iungi, vt omnes amicitiæ ſenſu fruantur, eſt neceſſe: iungatur vni

cæte-

cæterorum optimo, pulcherrimo, ſapientiſſimo, animi & corporis dotibus ornatiſſimo, per quem reliqui amicitiæ honore nobilitentur. Sic ab vno cœli Principe Sole lucem cætera aſtra capiunt, ſic à radice vitam rami, à parentibus Filij nobile nomen, ab Oceano flumina hauriunt vndas. Quod ſi Spiritum corporis concretione liberrimum, Deum dicas; ab homine verò cognoſci nil poſſe niſi corporis interuentu: Quodſi Deum altiſſimâ & remotiſſimâ cœlorum domo hoſpitantem, & luteas noſtras deſpicientem caſas obtendas: quodſi Maieſtatem & amorē non benè conuenire, nec in vna ſede morari opponas, quodſi amicorum omnia debere eſſe communia obijcias; nulla verò inter eos mutua officiorum & amorum poſſe eſſe ſtudia, quorum alteri ſumma ſit ſapientia, alteri offuſus caligine intellectus, illi inuicta nulliuſq; opis indiga dextera, huic infirmum & puluere exiguo leuius robur, illi longè latèq; ſequentium & latera ſtipantium clientum corona, huic nil præter ſeipſum ſuppetat, quin & ipſe ſuus non ſit, ſed alterius totus. Quodſi tales inter, tam diſpares tam diſſimiles, nullum poſſe eſſe animorum ſtudium aſſeras, maximum & ſi nillimum ego aio futurū. Corpus enim aſſumat Deus, & ſimilem nobis per omnia factum aduertes, nihilq; quod ad ſinceræ amicitiæ nomina ſpectet, deſiderabis. Nam corpore indutus, & oculis cerni & datis vtrinq; dexteris ceu familiaris amicus noſter ſalutari poterit. Sanguinis & ſortis noſtræ notâ inſignitus, dedecori vtiq; non ducet lutea corporis noſtri ergaſtula. Totus ad amoris leges factus, vtiq; metuendo Maieſtatis nomine non terrebit amantes. Totum ſeſe

 libe-

liberalissimo pectore nobis impertitus, vtiq; amicorum faciet omnia communia Nihil igitur ex vniuersæ amicitiæ legibus afferri potest, quod corporis interuentu ingeniosissimus Amor complanare non possit. Sed ecce cæli Nuncius, Amoris diuini Caduceator Angelus, fæderis ineundi de quo disserimus, acturus negotium, Arcam fæderis, Virginem cœlo terræq; charissimam conuenit. Tractatur agente pro terris Virgine, pro cœlis procurante Angelo, de magno, ineffabili, incomprehensibili, Deum inter & hominem ineundæ amicitiæ Sacramento. A salute, quæ amoris & amicitiæ solet esse prodromus, negotium contrahendæ necessitudinis auspicatnr. Magnâ verborum gratiâ quid aliud quàm beneuolentiam captat & amicitiam? Tanta dicendi vi, tanto argumentorum pondere disertus cœli Orator in rem nostram perorat, vt iam commoueri ab eius sermone Virginis animus incipiat. Stupet propositos cum Deo ineundæ amicitiæ fauores, & oblata tantæ necessitudinis vincula non respuit quidē, sed vt magis prouocet amantem, indignam se summi Principis cognatione censet, At da verbum, da dexteram pacifcenti Deo, Virgo: supplicat en plantis tuis, quæ astra calcant, aduoluta Adæ progenies. Prospicit è cœlestis Palatij limine Amicus amor, & auream amicitiæ torquē quâ se tibi nobisq; deuinciat, tuo gestit inijcere collo. Submitte humile diuinissimo vinculo caput, & Deum vtero mancipa Virginali. Quid fit Auditores? Submittit Ancilla vinculis caput, & Princeps ab ancilla vinculatur. Fit Virgo Deipara, Deus homo, cælum terræ iungitur, ima

ſummis nectuntur. Concluditur in Arca fœderis magnum & à ſæculis abſconditum in Deo, Amicitiæ Sacramentum.

AQVILA à FVLMINE IMMVNIS
SEV
DEIPARA VIRGO, à Noxa Originali intacta,
Breui Panegyri celebrata.

Dicta in MARIANO Oratorio Hoſiani Collegij Brunsbergenſis Societatis IESV, Anno ſalutis humanæ 1669. Decemb. 15.

DVm fatali Proto-parentum crimine, ceu ineuitabili fulminis ictu, mortalium genus, occidimus; & vna duntaxat proſtratæ ſtirpis, intaminata proles Virgo inter communes ruinas ſtetit inconcuſſa; quaſi Reginam volucrum Aquilam, ſolam cæteros inter alites, illæſum à triſulco irati Iouis fulmine ſeruaſſe caput, ſuſpicimus & admiramur vniuerſi. Auditores. Fama eſt Poëtis diuulgata, Principem pennatarum animantium aquilam, Maximo illuſæ Antiquitatis Numini, tantâ fuiſſe obſtrictam amicitiâ, vt dum vindices ſcelerum ignes, in cæterorum capita, iratus Iupiter vibraret, ſoli pepercerit Aquilæ: vtpotè, quam, & incorruptæ familiaritatis prærogatiua, & imperatorij honoris nomina, communi jure poſtulabant immunem. Vmbra hæc eſt, (ſi vatum fide, luculentam licet adumbrare veritatem) integerrimæ ab hæreditaria culpa Virginis. Quæ orbis cœlitumq; faſtigia, merito ſubmiſſionis ſuperuecta, & diuini conſors honoris;

ſuffragante Maternæ dignitatis prærogatiua, adſcita; tanquam Regina ætheris, æthereique dominatrix Imperij Aquila, ſupra humana terrarum conſortia, longiſſimo ſeſe extulit interuallo. Excepimus nos interim, æterna Labe & irreparabili damno lethalem fulminis aleam, confœderati in rebelli Patris pectore Filij. Illa altiore Numinis conſilio & gratia, [quid enim ſupremo, nulliſq; legibus adſtricto humanarum rerum Arbitro non liceat?] à communi mortalium concilio & conſpiratione exempta, non modò à decretorio fulminis telo fuit intacta, verùm etiam à tetro graſſantis flammæ odore ne leuiter afflata. Quod dum ego ſincero erga immaculatum integerrimæ Virginis ortum obſequio, planum vobis facere, exili dictione contendo: Vos ſub grandis argumenti dignitate fatiſcentem dictionem, pietatis & beneuolentiæ, in Matrem puriſſimam ſtudio ſubleuate. Nolo hîc memoriâ relegere, dulce illud in tenui malum, malorum certè omnium peſſimum inq; paruo licet, maximum: à quo tam fertilem, copioſamq; in communem interitum materiem, vindex cœlum collegit; vt, quot noſtrum omnium ſternendis ceruicibus ſatis forent fulmina, abundè vltore ſolis iuſtitiæ radio inde excoxerit. Nolo etiam ſtygium illum fulminis auiti fabrum, Tænariorum Magiſtrum Cyclopum, Vulcanum, Enceladumue, retexere; quem ingenioſo commento, ob præcipitem ab aſtris ruinam, grauiter pede ſaucium cecinerunt Poëtæ: an ideo forſan ſerpentem, ab orco prodijſſe ad technas cudendi fulminis, cum male ſanis non poſſet pedibus? vel potiùs pectori innixum ſerpſiſſe, vt toto corde illum in mortalium perni-

perniciem grassari constaret? Nolo deniq; terribilem illum totoq; orbe reboantem excussi fulminis fragorem, consternatis mentibus iterum reuocare. Nam tinnit adhuc in omnium auribus atq; animis, repercussi à refractario posterorum pectore, echo fulminis, minis longè latèque in sera vsq; tempora intentatis Hoc tantùm ex vnanimi orthodoxi orbis sententia & diuino summi Antistitis Oraculo assero sentioq;, Virginem illibatam, cæteris omnibus ad cædentis ictum fulminis exterritis atq; corruentibus, solam gratiæ præseruantis adminiculo ceu alarum remigio, pericula omnia superuectam, ibi sedem fixisse vbi tum mortalibus sedes nulla erat. Ardebat rebellis orbis, vindice communis sceleris incendio, & graueolente pestiferæ exhalationis odore, quem contagiosa pomi lues diffundebat, omnem circùm afflabat regionem. Sola terris sublimior, consortio criminis & supplicij exempta Virgo, tetrum grassantis in omnes flammæ odorem, nec corpore nec animo sensit leuissimè. Verum est nec diffiteor. Communi mortalium carne fuit prognata, generis humani socia & hæres, indiuiduo necessitudinis & cognationis vinculo, omnibus nobis obstricta, Sed voluntate saniore & diuinarum partium studio discrepabat ab omnibus. Neq; eadem semper est stirpis & virtutis necessitas. Sæpè obscuris natalibus, illustris prodijt animus. Sæpè angustis Laribus, augusta virtus imperatorijs fascibus est adlecta. Ramis duntaxat ineuitabilem patriæ stirpis virtutem, natura posuit, vt degenerare non liceat à primæua radicis indole, quæ vel amarum vel dulcem surculis transcribit genium. Alia longè multumq; dispar

obti-

obtigit Partheniæ menti, diuinæ puritatis capaciſſimæ; ortûs felicitas; vt nimirum è ſpinis prodiret roſa, è tenebris lux ſplendeſceret, è terra ſentibus & tribulis obnoxia, innocua Vitæ Arbor pullularet. At quomodo carnis neceſſitudine, parentibus noxa vetere corruptis proxima Virgo, à graſſante ſine diſcrimine in omnes telo, non fuit correpta? Typum rei formo, vos lineamenta notate. Erexerat nos, altiſſimi montis inſtar, ellatus atq; rebellis contra cœlitum imperia animus, & cæca dominandi libidine abreptus, etiam faſces diuinos inſana captabat ambitione: Diceres [quod ingenioſi de Gigantæo faſtu comminiſcuntur Pöëtæ] machinas machinis monteſq; montibus ab humana temeritate ſuperſtrui, vt ad Diuinitatis faſtigia execrando auſu eluctaretur. Aberat tum procul (ita æterna Cœlitum ſententia ſanxerat) ab ambitioſo, perduelli, refractario faſtus auſuſq; noſtri conſilio, religioſiſſima diuini nutus obſeruatrix Virgo. Dumq; nos refractarias in venenato pomi epulo mentes ceu montes gigãtæos cõtra ſidera, ſiderumq; Princeps Numen erigeremus; illa humilis vallis faſtigia, profunda animi demiſſione tenebat. Ergo dum vindex mortalium arrogantiæ Deus, triſulca quæ ipſi cuderamus fulmina, è nubibus excuteret, quidni altos ferirent fulmina montes? Illa verò cùm ſtudio ſubmiſſi animi ab ambitioſo Diuini Nominis conſilio procul ſe diſtraxiſſet, procul quoq; à vindice humanæ temeritatis fulmine aberat. Ita verum eſt illud. Procul à Ioue, procul à fulmine. Vt vt igitur paterna maternaq; ortûs lege nobis fuit cognata, noxæ tamen ſocietate non fuit contaminata. Neq; mirum cuiquam videri debet, filiam ſuper-

ſuperſtitem extitiſſe, dum Mater extingueretur fulmine; immunem à telo ſeruatam prolem, dum communi incendio inuoluerentur parentes. Contigit id quidem raro diuinioris conſilij prodigio, ſed quod aliàs non infrequēti naturæ euentu accidere, Meteorologis eſt indubitatum. Sic valida fulmineæ flammæ vis, teſte Naturalium peritiſſimo Plinio, non ſemel ferreos enſes liquauit, innoxiâ enſium thecâ. Sic non rarò in cineres vertit quercina, cæteraq; id genus duriſſima liquorum receptacula, etiam ferreis circum-ſolidata munimentis, nullâ interim liquoribus illatâ iniuriâ. Sic quandoq; deſæuijt in alterum, quin alteri proximum corriperet. Fuit hæc altiſſima Imperatricis alitum omnium Aquilæ prærogatiua, quæ tonante in perduelle hominum genus coelo, nubes iaculi fulminei latibulum, perniciſſimo gratiæ volatu ſuperuecta, in Sole candoris & puritatis ſede, tabernaculum poſuerat. Mens eſt arcanioris naturæ peritorum, Lauro eam immunitatem, naturæ dono obueniſſe, vt ceu publica victoriæ teſſera, etiam contra excandeſcentis coeli fulmina, illæſa triumphet. Ita Tiberium Cæſarem teſte Suetonio, Lauro caput induiſſe accepimus, vt qui hoſtium tela, ferro armatus non timebat, lauro munitus, etiam coeli minas non expaueſceret. Nobis ea laureæ ferendæ prærogatiua iam olim erepta eſt, dum turpiſſima clade victi, in alto paradiſi otio occubuimus. Extulit victricia hæc laureati verticis inſignia, rriumphtarix ſtygij ſerpentis Aquila: quibus coronata, ſereno vultu, immanes illas fulminantis coeli tempeſtates ſuſtinebat. Iam verò quis cætera imperatorij huius Alitis ampliſſima decora, virtutum le-

ctissima ornamenta, gratiarum donorumq; maxima prodigia, oratione recensere, nedum celebrare valeat? Quis niueum pennarum candorem, illibatæ inquam virginitatis insignia; quis acutissimum oculorum obtutum, exporrectam aio ad altissima Diuinitatis mysteria, mentis aciem; quis pernicissimam volandi vim, expeditissimam intelligo intellectûs indolem, dicendo, non dico, laudando, complecti possit? Videtis vt irretorto oculo in meridiano solis fulgore hæreat suspensa? hæc MARIÆ primo ortus sui momento, in ardentissimos Numinis amores defixæ species est. Videtis vt rerum humanarum fastigio altior, inter sidera sedem figat? hæc Deiparæ recens natæ prima fuerunt incunabula. Videtis vt expansis alis; quà Oriens atq; Occidens patent, omnem latè subiectam regionem contegat? hæc Virginis immaculatè conceptæ, amplissima toto orbe est gloria. Videtis vt grandis hæc magnarū alarū aquila plena plumis & varietate, medullā Cedri ferat eamq; transportet in terram Chanaan? Hæc DEIPARÆ Deū cœlo ad humanæ consortia naturæ detrahentis, illibata est castimonia. Videtis deniq; vt circumfusæ populorum turbæ, Reginam ætheris, Imperatricem cælorum, terrarum Dominam, flexo vbiq; adorent poplite? hæc vnanimis & publica Orbis orthodoxi erga Virginem illibatam est veneratio. Quæ cum ita sint, assurge iam in plausus & gaudia, prostrata olim vindice auiti criminis fulmine, mœsta posteritas. Erige quo potes conatu, iterum in bella, fractas paterno crimine vires. Prima licet belli alea infausto ceciderit euentu, iam sub auspicijs triumphatricis de tortuoso colubro Aquilæ, despe-
rare

rare de victoria non potes. Victoriæ præsaga & prænuntia est Aquila. Hâc auspicatò affulgente, Romanos rerum dominos gentemq; togatam, ad imperij & victoriarum fastigia gradum fecisse, scribente Liuio accepimus. Hac auspice Marianus Imperator & Basilius Macedo teste Zonara, ad supremos Regiæ fortunæ apices aspirarunt; quorum alter soli expositus, dum ab Aquilæ aduolantis vmbra est tectus, in vmbra Regiam serenitatem, & in Sole regium solium non vanè est ominatus; alter ab imperatoria aue etiamnum in fascijs salutatus, paulò post in imperij fascibus Imperator est adoratus. Nos sub vmbra Partheniæ Aquilæ longè latèq; expansa; & indubitata cōtra hostes præsidia, & certa exoptatæ victoriæ trophæa, multò luculentiore possumus sperare argumento. Arma circumspicimus? dabit Aquila armigera Tonantis. Classicum expectamus? iam in altum sublenata, non degeneres prouocat pullos; iam tubæ instar clangit, littora voce replens sub vtroq; iacentia Phæbo. Versipellis illius colubri technas & robur pertimescimus? Hac Duce & Auspice rebelles septemcipitis Laruæ ceruices teremus. Victoriæ ominatrix aquila est, cuius fauore & auspicio, superba illa terræ monstra iam olim vindice Iouis fulmine ceciderunt. Tibi verò Augustæ salutis publicæ Matri, Triumphatrici tortuosæ hydræ Aquilæ, ob signa furiasq; Tenarias, fatali imperio inter illibatas ortus primitias, pressas & oppressas, Stygius Draco sub Virgineis plantis in perpetuos sternatur triumphos. Vna demum exstitisti, Dominatrix cælitum terrigenumq; Virgo, cui ludus esset ille, qui omnibus ludit, velut tesseris, delusor orbis serpens. Ce-

cidit tantæ Æmulæ Alitis impar, olim ſæculorũ pauor, nunc vnius in illibato tuo ortu momenti ludibrium; Si tamen ille habuit, quò vlteriùs in vltimo Orci ſinu prolaberetur. Stetiſti in rebelli Draconis ſtygij capite, Victrix, cuius plantis nunquam grauius, credo, aliàs ſenſit onus. Habes infra te, quidquid vniuerſas gentes populoſq; ſupra eſſe videbatur. Quodſi quoq; deuota illibato tuo Nomini pectora, triumphalibus tuis plantis ſubiecta eſſe pateris (quod omnium noſtrum vota vnicè efflagitant) nunquam nos altiore reponi faſtigio cenſebimus, quàm ſi ſub plantis tuis infimos vltimoſq; Clientes, recenſeas.

Allegorica Panegyris de VIRGINE DEIPARA ab Angelo Salutata.

Sub allegoria Auroræ, Angelum; Solis, Verbum Incarnatum; Cæli, MARIAM Virginem indicantis.

Dicta In Oratorio Sodalitatis MARIANÆ, Brunopolitano. Anno à partu Virgineo 1667. Martij 25.

PRodromum ſolis, lucis Anteſignanum, diei primitias, cœli purpuram, Auroram nouam & inſolitam hodie prodijſſe aduerto, dum aureo circumfuſum lumine Angelum, auguſtum cœli Principem, Magnum ter Maximi Nuntium & Legatum, in cella vel cœlo potiùs MARIANO affulſiſſe contemplor. Auditores. Rubet cœli MARIANI facies, pudore verecunda, ad Angelicæ conſpectum Auroræ; rubet inquam roſeo rubentium genarum ſuffuſa lumine Virgo, & auream exoptatæ

diei

diei horam iam aduenisse, satis luculento rubentis Auroræ docet argumento. Procul auitæ calamitatis longæua nox, procul Maiorum lacrymæ, filiorum confusæ lamentis, iam fœlix bonæ diei auspicium, Aue, sub primum illucescentis Auroræ crepusculum insonuit; iam ad Auroræ ortum, pleni gratijs MARIANI rorant cœli, iam florida à cœlesti rore Nazareth, vernantia hortorum sidera explicat, rosarum gemmas protrudit, argentea liliorum decora parturit; atque inter tam pulchram florum coronam, florentisq; aulæ Maiestatem, ipsum florum Principem, è MARIANI cœli beneficio promittit. Suspicite interim, dum Magnus cœli oculus Sol sese aperiat, nec stellæ diffugiant, suspicite Virginei cœli longè lateq; se explicantem astrorum apparatum. Splendet nebulæ omnis expers, multa conspicuus luce, innumeris decorum distinctus ornamentis, Olympus MARIANVS. Fulgurant aurea virtutum sidera, gemmæ gratiarum scintillant, gratiosi diuinæ pulchritudinis ocelli, toto promicant æthere. Oculatissima, sine oculo, excubat sensuum custodia; vigilem cœli Phosphorum rectè dixeris. Sine æstu, flammescit Virgineæ decus pudicitiæ; Booten brumâ ardentem meritò putaueris. Lucet sine die, submissi splendor animi, Cinthiam noctu lucentem, non incongruè appellaueris. Coruscat serenum augustæ charitatis iubar, & nulli apparet; Solem nube velantem sua lumina bene credideris. Irradiat clarissimis virtutum gemmis, magni animi palatium & angustis Nazareti occulitur laribus; cœlum caliginosa nocte obductum non immeritò

 credide-

credideris. Magnum pulchritudinis & splendoris theatrum, in orbe, MARIA: sed adhuc sine publici & oculorum applausibus. Quanquam quid de orbis conscientia & oculorum applausu laboret, quæ in solius pectoris abdito, suæ virtutis erexit theatrum, actore animo, Deo spectatore. Sua sunt gemmis pretia, sunt pretiosis metallis congeniti splendores, etiam dum altis terræ visceribus conduntur. Vile & fucatum est, quod ab oculorum iudicio mendicamus pretium. Sui apparatûs conscientiâ magnus Olympus MARIANVS, cur apparere ambiat, insincero & mille fucis corrupto publici oculo? Decrescunt rerum dignitates, & augusta fastigia suâ penè exuuntur magnitudine, vbi de minorum fauore laborauerint. Veniet dies, qui clausum MARIANÆ virtutis theatrum aperiet, qui occultam Virgineæ laudis scenam deteget: quando nimirum ipse astrorum Princeps, cœlique Imperator Phæbus, non alio sublimis fulgebit solio, quàm Virginis vtero, MARIÆ sinu, cœlo MARIANO. Tunc rectè factorum pulchritudo, sibi vni olim conscia, vniuersorum spectatores & encomiastas merebitur oculos, tum ingentes æquoris diuitiæ, exiguis inclusæ conchis, lucem publicam aspicient, tunc cæco terrarum specu abstrusæ auri opes, sub solis aspectum prodibunt, tunc Virginei splendor Olympi, nullâ insciæ noctis aut inuidæ nebulæ vmbrâ obfuscabitur. Verùm miseret me tui, ô infelix Hæbrea tellus! hôc infelicior dicenda, quô benigniori polo & faustioribus subiecta es syderibus. Hem! quàm altæ noctis tenebras, quàm rigidæ hyemis frigora tibi incum-

incumbere, est necesse: quæ ad sexcentas illustrissimi ætheris faces, apertis oculis vides nihil; cuius pietas, media inter cœlestium ignium incendia, frigore emoritur. Ita planè Cimmerijs sepeliri tenebris orbis solet, dum stellantes gemmæ sua decora produnt clariùs. Ita gelidior terras solet stringere bruma, dum gemmei illi ignes ardent illustriùs. Nos Auditores, fausta poli MARIANI sidera tum respiciebant: nobis hoc cœlorum regnū appropinquabat, etiam dum multis distaremus seculis, & non modò toto aberraremus cœlo, sed ipsa quoque aberramus terrâ. Nobis aureum hunc cœli fornicem extruxit fabricator cœlorum Deus, vt protectrice MARIA securi viueremus. Nobis cœleste hoc paludamentum, vt pellem Deus extendit: vt quos tunicis pelliceis vestitos, paradiso excluserat, MARIÆ paludamento tectos, cœlo reciperet. Quemadmodum verò, toto orbe expansum cœli paludamentum, innumeris fulget stellarum ornamentis; ita multò pluribus ornatam gratijs MARIAM cogitare fas est. Immensis propè interuallis, à terrarum complexu, cœlestis ille orbis se distrahit, at celsior MARIÆ terras superuehentis est altitudo. Cœlestes illi astrorum cardines perenni motu se circumagunt; at celerior MARIÆ in virtutis stadio decurrentis vigor est. Altissima illa cælorum regna, astris ceu oculis, montium & mentium fastus despiciunt; planetis ceu plantis, mortalia omnia subijciunt; at altior Virginis, sublunaria omnia, ipsamque lunam calcantis est sublimitas. Cui amabo MARIANVM hoc cœlorum regnum assimilabo? exiguo sinapis grano?

no? orbe toto maius eſt. Theſauri diuitijs? poſſidet illum, in quo theſauri omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt abſconditi. Virginum pudicitiæ? Angelicos ſpiritus caſtimoniæ integritate longè antecellit. Regijs nuptijs? Diuinam humanæ naturam æterno iunxit connubio. Pretioſis negotianti margaritis? plures hominum cum Deo vniones gratiæ opibus pretioſiſſimas protulit quam cælum numeret ſtellas, terra & pontus habeat margaritas. Iacienti bonum in agros ſemen? tulit ſine ſemine granum, florem ſine germine, ſine plantula vitæ arborem. Sagenæ miſſæ in mare? ex MARIÆ genealogia piſcariam nexuit ac deduxit lineam Deus, teſte D. Petro Dam. lineæ Diuinum Verbum quaſi hamum per incarnationem adſtrinxit, hamo autem MARIANAM carnem, velut eſcam innexuit; vt leuiathan illectus ad carnem, ferrum Diuini Numinis ſubſentiret, homines verò quaſi piſces maris, diuino hoc capti pabulo, ex abyſſi profundo ad litus æternæ felicitatis extraherentur. O cælum nominibus omnibus pulcherrimum, nullo non laudis argumento ornatiſſimum! Si duodena illa Principum ſiderum ornamenta requiras, explicat regiam duodecim ſtellarum coronam. Si motrices cœlorum Intelligentias deſideres, affulſit magni baiulus conſilij Angelus, atque vt in ſalutis publicæ vota MARIANVS verteretur Olympus, eâdem motrice laboratum eſt intelligentiâ. Si vmbram, ſi placidos ſpirantis auræ Zephyros anheles, iam is cælum aſpirauit & obumbrauit ſpiritus, qui leni blandientis auræ ſibilo feſſa recreat pectora, & languentes laborum æſtu

animos

animos, diuini vmbra fauoris refocillat. Sed iam ab vmbra ad imminentis diei lucem nos excitat prominentis Phœbi oculus. Iam

vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena rosarum
Atria; diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.

Affulsit tandem post diuturnæ atq; inueteratæ calamitatis noctem, diei exoptatæ diuinissimum iubar, orbis inferi & superi amœnissimus oculus, Maximum cœli MARIANI sidus & siderum omnium Princeps Sol DEVS. Affulsit inquam, sed Maiestatis splendorem, ne caligantes orbis oculos perstringat, temperaturus, sub Virgineam candidamque se recepit nubem. Clauditur magnus cœli terræque oculus, angustis latebris, inseritur exiguo annulo Sol, septuaginta elegantiarum gemmâ pulchrior, hæret vteri latere abditum lumen, quod nullæ possunt occulere tenebræ; delitescit mortalitatis nostræ cinere coopertus ignis, quem in terram venit mittere Virgineam Sol igne amoris flagrantissimus. Iam verò ingressus cursus sui stadium, quàm celeri motu Iudææ montana Sol noster supergreditur, vt noctem illam auiti criminis dispellat. Prospicit inter materni vteri nebulas Phosphorus diei Ioannes, & solis præsentiam imminere sentiens, celeri prosilit motu, abeundum minori sideri ratus, vbi maius illuxit. Muneris sui memor vt solem præcurrat Phosphorus, ad currendam viam exultat. Pingitur gestientis vultûs gratiâ sterilis terra Elisabeth, & florum fructu antè arida, gratiosissimum,

quin ipsam florum gratiam Ioannem parturit. Resonat suauis cælorum concentus, qui olim Iobo fuit auditus, & alternantibus lætantis terræ choris, Vox clamantis in noua prorumpit gaudia. Non latet sub opaca nube Sol noster, etsi appareat nemini. Vultûs Maiestatem lucisq; radios abscondit, sed radiorum vice spargit beneficia. Cœlo affixus, aurum optimum in sterilis terræ visceribus excoquit & à congenitæ labis scoria perpurgat. Agit hoc in sterili Elisabeth solo, quod posthac in pleno sentibus & tribulis orbe est acturus. Prorumpet non multò post, prorumpet in publicum Sol noster, & meridianam lucem media nocte faciet splendescere. Tum primam vitæ nostræ diem ante diem auspicabimur, tum noctem sine nocte agemus lætissimam, tum Aurorâ Angelis, Sole Christo, cœlo MARIÂ, renascentis orbis natalem celebrabimus.

Oratio In Laudem S. CATHARINÆ
DE
Quinquaginta Philosophis & Maximino Imperatore triumphantis.

IMbelle Philosophorum fuisse ingenium est necesse, quod tenellæ Virgini victas cessit acies. Quanquam nunquam nobiliorem retulistis sapientiæ palmam ô Philosophi, quàm dum inscitiæ notam, flammis corpori vestro inussit Maximinus! Pulchrum erat dedecus, gloriosa labes, doctissima ignorantia, Fæminæ vni esse imparem disputando; quæ, quibus sauciabat telis vestra ingenia, iisdem insanas curabat mentes. Habent hoc orthodoxæ sapientiæ

entiæ ſpicula, vt quorum victa proſternunt ingenia, animos ad veritatem euehant victores. Nullis nimirum in Chriſtianæ veritatis prælio datur victoria, niſi victis. nulli triumphare conceditur, niſi ſubiugato: qui armis & caſtris paſſus eſt ſe exui; qui ex acie profligatus, captiua in fidei obſequium colla, vltro ſubmiſit. Sed videte magni certaminis inuictam Amazonem D. Catharinam. Videte immaturam ætatem in virtute adulta; imbelle pectus martijs generoſius Heroibus. Videte Ducem ſine armis armatam; ſine Caſtris & exercitu, magna virtutum agmina explicantem; videte innumeris munitam contra Maximinum præſidijs; & ſolam. Rara pugnæ ſpecies, peregrina militandi ratio, inuiſa caſtrorum facies; vbi contra iræ ferociam mite pugnabit ingenium, contra ſpecioſam turpitudinem intemnerata dimicabit pudicitia; contra errorum noctem veritatis ſplendor decertabit. Non hanc mitis animi aciem noſcet Maximinus, quem impotens mentis furor, in meridiana veritatis luce excæcauit. Non hoc illibati pudoris robur ſuperabit eneruatus Cæſar, quem inſana voluptatum libido ante pugnam proſtrauit. Non hæc ſapientiæ ſpicula verſutus obſeruabit Philoſophus, quem cæca Deorum idola, Cymerijs inuoluerunt tenebris. Deligat furoris ſui theatrum Alexandriam, furibundus Imperator; explicet amentiæ ſuæ caſtra toto orientis imperio; accerſat publico edicto, vniuerſam ad Deorum ſacrificia Ægyptum: tota hæc Cæſarei furoris ſcena, in victoriam mitiſſimæ Virgini aperitur. Bene conditoris gloriâ celeberrimam Alexandriam, pugnæ deſignat, non alia e-

nim vrbs tantæ Virginis nomini ſuffectura erat, cuius virtutum amplitudo, non vrbis unius, ſed orbis totius ſpatia exæquat. Confluat huc artifex fabularum Oriens, vt feſtam errorum noctem celebret: dabit meliorem diem pientiſſima veri Numinis Cultrix D. Catharina, facietque inaudito ſtratagematis prodigio, vt caliginoſus errorum Oriens occidat, & occidens orthodoxa veritas oriatur. Felices incorruptæ ſapientiæ Philoſophos! quos ſine partu pariet pudiciſſima Virgo; cùm illos antè non tam in lucem quàm tenebras, fæcunda errorum Mater Ægyptus edidiſſet. At fruſtra nomini ſuo oſtentando Alexandriam aperit Maximinus, quàm prudentiùs clauſiſſet ſuæ occultandæ ignomiæ. Et optaret ille quidem ſuo cinere, & incineratæ Alexandriæ tumulo tantum ſepeliri claudiq; ſcelus; niſi victrices Virginis lauri è fœcundo illo candidi roris imbre, perpetuò renaſcerentur, non modò ad immortalem Virginis gloriam conſeruandam, verùm etiam ad perennem Tyranni immanitatem conteſtandam. Proſpicit ex alta obliuione inglorius tenebrio, ſola celebris immanitate, & in pompam triumphatricis noſtræ rediuiuus, ſub triumphata deliteſcit purpura. Quemadmodum deformes laruæ & horrida viſu monſtra, pulchra ſpectacula ſolent exornare, ita quauis laruâ monſtroque fœdior Maximinus, ſcenam Virginei triumphi ſua condecorat turpitudine. Adeſt Virgineæ pugnæ, copioſa ſacrificantium multitudine cinctus; inter omnes quæ immolabantur animantium victimas, ipſe ſolus immaniſſima bellua. Adeſt aureo ſublimis ſolio, ſed animi ſuperbia, toruoque arroganter ſupercilio

lio magis elatus. Frontem impudens & seuera exaspe-
rauit Maiestas, oculos non minùs inflammatus furor,
quàm insanus libidinis æstus accendit. circumstat insolen-
ti strepitu armis instructum satellitium, fremit supersti-
tiosa Mystarum cohors, omnes dispari studio & offi-
cio tenentur, sed pari omnes furore in Catharinæ exiti-
um conspirant. Adest quoq; præuiso certamini impa-
uida Herois, sola virtute contra sexcentos furoris,
amorisque insani impetus munita. confligunt vtrin-
que diuersissima hostium agmina. Bellona nostra su-
perstitiosas aras, sacrilegis contaminatas victimis redar-
guit, sacros honores delubris exhibitos detestatur, ipsum
que Maximinum tanquam summum inter tot scelera sce-
lus imperterrita execratur. Alio stratagemate vtendum
ratus Cæsar improbissimus: iras intra blanda vultûs le-
nocinia abscondit. Vt Marti Virgineo, acerrimo impe-
tu se opponat, opponit nullo; maximas se exerturum vi-
res, contra illibatum pectus opinans, si aut omnes con-
tineat, aut exerat minimas. Quos igitur ad Religiosam
seueritatem obtutus virgo pijssimè atrox composuerat,
& ad castigandam scelesti Principis impietatem vibraue-
rat: ille amœnis & fallacem blanditiam ementitis ocu-
lis reprimebat; Quos hæc asperos monitus iaciebat, il-
le sermone blandissimo retundebat. Quæ fœdi sceleris
vituperia, Virgo in scelestum vibrabat, ille encomio ve-
nustissimi corporis in Virginem refringebat. Certaba-
tur vtrinque acri telorum agmine, sed acerrimè certa-
bat Maximinus, quia blandissimè. Cecidere tamen ir-
rito conatu, acerrima Tyrani sine acrimonia lenocinia:

 tantumq;

tantumq; vanus potuit sine viribus amor, quantum lenonis imperium in leonis valet magnanimum pectus. Nihil totius orientis Regna, imbellis fœminæ pectus flectebant, quam ad cœlorũ sceptra Deus destinauerat: nihil ingentes opum thesauri, totaque Imperatoris opulentia vano auri fulgore oculos sapientissimæ Virginis perstringebant, vtpote quibus mixtus cineri splendor luce meridiana clariùs apparebat. Nihil deniq; Cæsarei gloria diadematis, augusti magnificentia solij, inconcussam pulsabant mentem; quæ totam orbis vastitatem puncto vno definiuerat. Maius ac amplius Catharinæ pectus erat, quàm vt Orbis totius imperia illud explerent. Altiora fastigia occupauerat, celsissima Virginis virtus, quàm vt humi repentes Tyranni blanditiæ eò pertingerent. Perstitit illa ceu rupes Marpesia, ad omnes impotentissimi hostis assultus; neq; quicquam illibatum integritatis decus corrupit olitor. Quemadmodum tot amnes, tantum supernè deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita aduersarum impetus voluptatum, non vertunt magnæ mentis cogitationes. Habet nimirum id adulta animi virtus, vt si diuturna cum blando hoste rixa ferueat, callum per iniurias obducat; ne vnquam à pessimo bono emolliatur. Quantæ verò voluptati quantoque gaudio superis immortalibus censetis fuisse, colluctantis Virginis cum impio Tyranno palæstram. Fuit procul dubio tàm rarum in orbe spectaculum, quod in admirationem etiam empyreos Spiritus cœlis euocauit. Gratam Principum oculis scenam aperit, qui intrepi-

trepidus irruentem feram venabulo excepit; qui interritus Leonis incursum pertulit. tantòq; spectaculum est gratius, quantò id nobilior fecit. Sed non sunt ista humanæ leuitatis oblectamenta, quæ possint ter Maximi Numinis vultum in se vertere. Ecce spectaculum dignum (Romanus olim dixerat sapiens) ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum Animus fortis cum blanda fortuna compositus. Non video, quid habeat in terris Conditor cœlorum pulchrius, dum conuertit in mortales mentem: quàm vt spectet animum nostrum, siue inter publicas Orbis ruinas erectum, siue inter euanescentis illecebras voluptatis, immotum. Stetit inuictissima Bellona nostra contra contagiosas lenocinantis Tyranni blanditias, inconcussa; stetit altissimo orbe altior, dum oblatos Imperij fasces contemptu calcauit; stetit augustis superior capitibus, dum fastuosa Maximini diademata minimi æstimauit. Cecidit verò tenellæ Virgini impar Tyrannus, virginei decoris telo necdum intentato saucius. Neque modò ad Virginei Martis victoriam satis erat semel triumphatum cecidisse hostem; bis victus est, qui semel duntaxat pugnauit. Tanta hostis erat ignauia! tanta dimicantis Virginis fortitudo! occubuit primùm vilis illa Cæsaris anima, non ferro hostiliq; dextera: sed vt in Maximino maximam disceremus vecordiam, à flore Virginei vultus occubuit. Quanta Maximini qui Imperia vincere debuerat infirmitas! quando imbellis formæ flosculus, omnes Imperatorij pectoris vires elisit. Occubuit deinde proprio oculorum vulnere turpiter saucius,

quibus dum alienæ prædator inhiat virtuti, suam ipse e necat. Quanquam quæ virtus reperiri poterat apud eum, qui Orientem sceleribus impleuerat, totoque nisu in id vnum incumbebat, vt turpe facinus de Imperatore triumpharet. Huc eius munificæ spectabant opum pollicitationes, huc Cyprij ignes vesano collucentes pectore, vt patrando crimini nefariam præferrent facem. Sed frustra blando certamine, Virginis animum Tyrannus experitur, quem ad duriorem luctam ferrum euocat. Frustra blandientis fortunæ risu, eius virtutem periclitatur, quæ rotarum & ignium pericula, sereno ridebit vultu. Ignaua ingenia, felicitatis intemperantiæ subiacent: at calamitates terroresque mortalium, sub iugum mittere, hoc magni pectoris proprium est, hæc Catharinæ genuina virtus. Pudet congredi cum hoste vinci parato. Qui enim sine periculo vincitur, vincitur sine gloria. Ignominiam Athleta reputat, cum inferiore componi. Languida indoles & in somnum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectitur elementis: generosi spiritus duriore fato opus habent. Fortissima igitur calamitatum agmina, rotarum flammæque aciem, Catharina sibi parem adsciscit. Et iam è cœco carceris antro educta prodit; non alio quàm lictorum comitatu stipata. Sat tamen contra ferri flammæq; vires munita, dum virtutum longè lateque stipantium agmine cingitur. Quanquam neq; in profundissimi antri tenebris, à publico Catharina aberat: non enim poterat latere, quæ in suæ virtutis spectaculum, Cœlitum oculos conuerterat. Sed iam lictorum turbam,

immanium Satellitum phalanges; Tyrannus euocet, iubeat tormenta, cruces, rogos, instrui; expediat virgarum fasces; boum neruos; & à lacertosis hominibus, dirissima immanitate, toto corpore laceretur innocua Virgo: donec hiante passim cute, partim sanguine omnibus manet artubus, partim teterrimo spectaculo liuescat: plus Catharinæ virtus perferre quàm Tyranni ferocia inferre potest. Corpora quidem exiguo concidunt vulnere, & magnarum virium molem etiam humana dextera impellit: at in alto latet spiritus, nec vtiq; ferro erui potest. Non timet impresso vulnere sua explorari præcordia virtus, dum sincero hospitatur animo. Tota vrbs suis penè euulsa sedibus, in tantæ Virginis admiratione defixa obstupescit, sola suam non miratur Catharina fortitudinem, quæ non peregrina, sed domestica semper in eius pectore versabatur. Quid verò impie Tyranne à maxima crudelitate dicte Maximine, quid iam agas? nondum Virginis integritatem, inuictam animi constantiam aduertis? nondum tuæ victricem amentiæ pronus veneraris? tanta est (proh dolor!) obstinatæ in flagitio mentis cœcitas, tanta vindictæ capiendæ auiditas, vt pari audeat certare robore cum solidissima virtute. Plenus ergo amentiæ immanissimus latro, Virginem lictorum securibus iubet ceruicem subijcere. Exporrigit illa impauidum collum gladio; lictor candidam ferro prosternit ceruicem, auellitur proh immane facinus, à Virgineo corpore innocuum caput. Non poterat tanta tam magna anima nisi magno exire vulnere. Impar iam & angustum corporis spatium, cum eius ma-

gnitudinem ampliùs non caperet, violentâ ad æternitatem viâ erupit. O felicem Virgineæ mentis exitum! non poterat illa meliore oſtio ſtellatam illam adire Patriam, quàm lacteâ effuſi roris ſemitâ. Agite iam quotquot integerrimæ Virginis Cultores adeſtis, quotquot veræ ſapientiæ Magiſtram ambitis Clientes; diſcite lenocinantis fortunæ amicos temnere fauores, diſcite pro virtutis præmio, vitæ pretium liberali offerre pectore, diſcite non molle Partheniæ virtutis eſſe documentum.

Quinquaginta Philoſophis & Martyribus, à D. CATHARINA Philoſophorum Principe & Magiſtra, rectè Ratiocinandi Scientiam, edoctis, atq; inter triumphales ignes, dum publica doctrinæ ſpecimina ederent, ad immortalem Philoſophiæ & Martyrij Lauream, euectis.

Breue ſed perenne ſuæ venerationis monumentum ponunt Brunopolitani Peripatetici.

ANNO MDCLXIX.

Diuiniorem Philoſophiam in Vobis de Vobis triumphantem Laureis veſtris inſcribimus, Diui Philoſophi & Martyres. Nolebat aliorum patrocinia ambire, princeps humanæ mentis ſcientia, quàm qui auguſtos Orbis vertices, Maximinos, victrice triumphaſſent ſapientiâ. Habet enim hoc ſapientiæ dignitas, teſte Romano Philoſopho, vt ſuperbos dominantium faſtus

ſtus præteruecta, Philoſophantium honori duntaxat aſ-ſurgat: neq; alijs ſuas inclinet lauros, quàm quos ſupra populi faſtigia, Ratio erexit. Neq; enim illa, vtpote faſtigijs rerum humanarum altior, ementito ſplendori, aut vanis à magno nomine Numinibus ſeſe vnquam ſub-miſit: ſed ſi canente Claudiano, viſa eſt victrices cœlis ſubmittere laurus, ijs tantùm ſubmiſit, quos (iam olim docente Græciæ & Antiquitatis Oraculo Solone) virtus & ſcientia pari ſuffragio nobilitarunt. Non rapitur ni-mirum Sapientum oculus, mixto pulueri ſplendore, neque perſtringitur rectæ rationis acies [vt Traiano ſu-us dicebat Panegyriſtes] aureo Maieſtatum Imperio. Sublimior eſt Philoſophi oculus, quàm vt quicquam cel-ſi, inter humanas celſitudines miretur. Non ſi fractus illabatur orbis, ruinam expaueſcet ſapiens, multis retro ſæculis vaticinabatur Lyricus: nec, ſi confligentium po-pulorum ſtrage, regna intereant [olim ſapiens Philo-ſophabatur Seneca] mutabit vultum, erecti animi vir. Neque tamen ſine prælijs aut viuit aut viget Rationale ſtudium. Vtvt altiſſimo otio delectatur Philoſophia, nunquam pacem coluit ſine armis. Decertare igitur inter feruentes argumentantium conflictus aſſueta; quo-rum patrocinia potiùs prenſaret, quàm qui tanto pro veritate feruebant certamine, vt illuſtris etiam flamma coronaret diſputantes. Indoles hæc erat dominantis in-ter aſtra, cœli ignes, Sapientiæ: quæ flammarum inſtar eluctatur in altum: neq; alibi ſedem figere conſueuit, quàm vbi popularibus animis imperuium & ineluctabi-le eſt faſtigium! Quoties in arenam igitur prodit, Di-

ſputatrix ſcientia, quo reſpiciat alio? quàm vbi facem, diſputationi in triumphum præfert, victrix medios inter ignes Philoſophia, ſcientiâ & virtute, quàm flammis illuſtrior. Admittite quocirca, Auguſto Nomini veſtro aſſurgentem venerabundo cultu Philoſophiam, Cæſarum, igniumq; Victores Philoſophi. Scimus ſpinarum & aculeorum cognomento, rationalem traduci facultatem, ſed cum roſæ ſitis, Virgineo ſatæ cruore, ſpinarum obſequia, in vicem cuſtodiæ admittetis. Si veró victrices laurus veſtras, tripudijs & plauſibus celebrari dignamini, Organum & inſtrumentum eſt Logica, quam triumphis veſtris celebrandis deuouemus. Si deniq; ſcientiarum altiorum clauis, communi ſuffragio audit Philoſophia, Veſtris manibus clauim hanc tradimus, vt ſcientiarum arcana, intimoſq; diuinarum facultatũ adyta nobis reſeretis.

Aurum Carmeli Diuinis Eliæ ignibus à ſeculi ſcoria excoctum Lydioq; lapidi Christo, virtutibus & miraculis probatum.

SEV

Panegyris de S. Maria Magdalena de Pazzis Sacri Carmelitarum Ordinis Virgine Religioſiſsima.

Ex nomine de Pazzis alluditur ad aurum in Hebræo.

POſt tot illibatæ caſtimoniæ decora, poſt tot infracta Martyrum inuictorumq; Heroum pectora, poſt tot Orthodoxæ Reipublicæ ſummos Antiſtites, ſacroſque Purpurati Senatus Patres, poſt innumeros non minùs virtute

cute, quàm literis conſpicuos Aſcetas, quos Religioſiſſima Carmelitarum Familia magno rei Catholicæ emolumento orbi protulit; adhuc auita vetuſtiſſimi Ordinis virtus, tot ſæculorum ſpatio non elanguit, inter iniquas temporum rerumque vices conflictata non ſuccubuit, inter illabentium Regnorum ruinas non corruit, inter decumanas tumultuantis ſæculi tempeſtates non eſt periclitata. Stetit inconcuſſa ſacri montis moles, mentis Legiſque primæuæ ſemper duraturæ ceu gentilitia Carmelitarum teſſera. Stetit præcelſus Carmelus Religioſæ perfectionis vertice ad ſidera vſque exporrecto; intaminati nominis amplitudine famæque ambitu, terras omnes populoſque longè lateq; complexus, radicibus calcati faſtus & protriti perſonati honoris, adeò altè in terram actis, vt nulla aduerſantium vis eas conuellere, nulla licentioris vitæ inſolentia labefactare, nulla iniquæ ſortis iniuria potuerit perturbare. Dedit hactenus peramænum Carmeli ſolum vbere partu, vernantia florum ſidera, candida Virginum lilia, purpuratas proprio cruore Martyrum roſas, dedit florum Principes, coronata ſapientiæ & ſanctitatis capita. Et iam ne quid opum ditiſſimo Carmelo aureoque monti deeſſe videretur, dedit poſt tot ſæculorum interualla, raro naturæ prodigio, maximo cœlorum fauore, vniuerſi orbis ſolatio, Aurum donorum omnium facilè primum, munerum omnium longè acceptiſſimum. Aurum inquam quod ſplendeat in aris, Diuûm exornet Baſilicas, egenorum ſubleuet inopiam, collapſas reparet mortalium fortunas, Aurum, quod Superos flectat ad clementiam, cœlitum fauores ſpecioſo

mercetur pretio, quod publico Ecclesiæ ærario illatum, omnium commoda diuite censu exæquet. Verùm quod illud auri genus, quas tantas opes publico orbis bono natas, placandis superis, ditandisq; mortalibus suppares intelligitis? Aurum est Auditores, è Sacri Carmeli montis visceribus erutum, diuinis Magni Patriarchæ & Principis Prophetarum Eliæ ignibus excoctum, artifice Spiritus Sancti gratia eleganter expolitum, Thaumaturgâ Sanctissimæ Triados dexterâ in absolutissimam sanctitatis Ideam atq; pulcherrimam virtutum omnium Imaginem elaboratum. Aurum hoc optimum, non aliud quàm Sanctissimam iuxta ac Religiosissimam Virginem, Sacræ Carmelitarum Familiæ non degenerem à præcelsa Maiorum virtute filiam, D. MARIAM MAGDALENAM de Pazzis intelligo. Illam inquam quam publico oraculo suffragantibus vnanimi voto Romanis Patribus, Maximus Ecclesiæ Antistes Clemens Nonus exornandæ Cælitum coronæ, ceu pretiosum aurum inseruit; vt sublimiore fastigio tantum decus elatum, non modo illustriùs terris irradiaret, verùm etiam aureo virtutum splendore cœlos ipsos inauraret. Magnus auri splendor; quòd lucem possit addere astris, sed maior virtutis gloria, quòd inter acria difficultatum examina auream priùs probauerit indolem, quàm dignum astris accenseretur. Septennis etiamnum Virguncula Diua Magdalena de Pazzis iam pauperum manibus munificam inserebat opem: diceres, iam tum auri indole præditam, quæ tàm liberali genio inopum subleuabat egestatem. Nullus certè auri potior vsus est, quàm dum liberali manu spargitur inter

ter egenos. Etiam Diuûm aris dicatam ſacram ſupellectilem diſtrahere fas eſt, dum pauperum datur vſibus. Alimenta potumq; quæ tenellæ ætati & infirmo negabat corpori, paſcendis potandiſque addicebat egenis; dixerim non immeritò charitatis in proximum flammis æſtuantem Magdalenam, in aurum potabile liquatam. Quàm facilè fuit dexteræ Numinis auream Magdalenæ indolem, à teneris & ab ipſis propè incunabulis ad omnem virtutem fingere, quæ ceu fuſile inter ignes aurum, nullo labore in omnem virtutis formam fundebatur. Aurum à congenitæ terræ labe quam ſcoriam dicunt, ſecernere eſt neceſſe; vt ſinceram nobilis metalli indolem Lidio probet lapidi. Probauit non adulterinam aureæ virtutis indolem, Magdalena, quando amore in Deum ſuccenſa, à caducis vaniſque ſæculi rebus ceu ſcoria ignobili ad Religioſæ vitæ inſtitutum animum tranſtulit. Probauit inquam ſuam Lydio lapidi, Petræ Chriſto, non perſonatam amoris fidem, quam religioſo votorum fœdere æternùm ſtabiliuit. Inhiabant auro huic, quod non modò generis ſplendor, ſed natiuæ etiam formæ commendabat venuſtas, adblandientes procantium oculi, expetebatur ad illuſtria Principum connubia, vt ad ſeram vſque poſterorum memoriam, Illuſtriſſima Pazziorum nomina effulgerent. Promittebantur alta honorum faſtigia magnis ampliſque fulta opibus, vt è ſubliniore loco corruſcaret illuſtriùs, & vltra natalis ſoli limites ad peregrinas vſq; exteraſque terras Pazziani Nominis diffunderet gloriam. Flectebatur aſſiduis parentum precibus, & dum ad molles precum blanditias firmior

auri

auri vis obſiſteret, quandoque minarum malleis, & flammis etiam, excandeſcentium furore cognatorum, ceu ſuccenſis in examinatoria fornace paleis probabatur aurum. Sed ignibus Diuinis, & Artifice Spiritus Sancti operâ iam in religioſam ſacri conubialis annuli formam ceſſerat, cui demum ceu aureo annulo, gemma ſeptuaginta elegantiarum Chriſtus, perenni votorum nexu eſt inſertus. Deliteſcere maluit Magdalena inter religioſos parietes, quàm illuſtri effulgere connubio, & euaneſcentem propagati Nominis vmbram inter poſterorum faſtos emendicare. Tantum tamen abeſt, aurum Pazzianum Deo datum donatumque, priuatis hæſiſſe ignotum latebris, vt potiùs illuſtriſſimum toto hodie effulſerit orbe. Tantùm abeſt religioſis clauſtris ad perennem obliuionem, Pazziorum nomina tunc fuiſſe ſepulta, vt potiùs vel inde ad longè diſſitas & peregrino ſole calentes terras emerſerint. Coruſcat Nobiliſſima Pazziorum Domus, multis Heroum, Comitum, Principum, Ducum, clara nominibus, fulget amplis meritorum & virtutum non vno in regno ornamentis; colluſtrauit Italiam, percrebuit Nominis famâ per Imperium & Germaniam, impleuit Illuſtriſſimis Heroibus, Præſulibus, Ducibus, Poloniam Lithuaniamque, alta vbiq; terrarum fixit gloriæ trophæa. Sed vna Magdalena de Pazzis cum deliteſcere vellet, cælo terræque, ſuperis & mortalibus, ſacra Pazziorũ Nomina diuulgauit; cum tenebras quæreret, publicam prodijt in lucem, cùm ſanguine illuſtris videri nollet, Sancta toto orbe audijt. Magno quocirca ſplendori auiti augmento accidit, vt prænobile hoc aurum à ſecu

li ſcoriâ expurgatum Lydioque lapidi Chriſto probatum, Religioſis tantiſper aſſeruaret, Laribus. Nullis certè opibus, auaræ mortalium manus magis inſidiantur, quàm aureis. Prædonum audaciam irritat, qui aurum publico, ſine cuſtode, committit. Deprædari deſiderat, qui theſaurum pulicè portat in via. Nullibi tutiùs aurum ſplendet, quàm dum deliteſcit in tenebris, vbi natiuâ pulchritudinis conſcientiâ ſecurum, teſtes publici oculos & auaras manus non formidat. Expalleſcit quandoq; & aurum, teſte Cinico, ſed magis timore inſidiantium hoſtium, quàm deficientis argumento virtutis. Verùm, quibus mænijs quâue cuſtodiâ Deo Sacratum, & diuino amore excoctum aurum ſeruatum creditis? Excubabat olim vigil ad Heſperidum hortos, terribilis viſu, naribus ignem ſpirantibus, immanis toto corpore, formidabilis irâ Draco: qui criſtâ linguiſq; tribus præſignis, acutis dentibus horrendus, cuſtos erat arboris aureæ. Sed non eluſit ingenioſas inſidiantis Iaſonis fraudes, qui vbi excubantem belluam conſperſit lethei graminе ſucci, verbaq; ter dixit placidos facientia ſomnos, quæ mare turbatum, quæ concita flumina ſiſtunt, ſomnus in ignotos oculos tunc venit, & auro Heros Æſonius potitur, ſpolioque ſuperbo. Adeo nec ab inferis euocata monſtra, terrent ab auri cupidine auaros mortalium animos! Tutiore præſidio aureæ de Pazzis opes ſunt reconditæ, quando ad altiſſimum Carmeli montem Religioſa Virgo euecta, procul à rerum humanarum conſortio, procul à ſexcentis ſeculi periculis, illibatæ Caſtimoniæ theſaurum extulit. Quæ hoſtium vis ad præcelſi Carmeli faſtigium

 elucte-

eluctetur, quis dolus reconditas inibi auri opes depopuletur? Quas non ſtygiæ quidem draconis flammæ, ſed igneus totus auriferi montis cuſtos Elias, tutiſſimo præſidio ſeruauit illæſas, atq; ab humana auaritia intaminatas. Beatum tàm vigili excubitore Carmelum, beatum tantarum opum cuſtodiâ excubitorem! cuius à tot ſæculorum ſpatio ſolicitè omnem in partem excubantes oculos, necdùm vis lethæa fatali ſomno conſopiuit. Quod ſcelus ſacrum hunc tentet adire montem, cuius Cuſtos, vindices ſcelerum ignes, ad nutum, cælis euocat? Quod crimen in Sacroſancta Montis adita ſeſe inſinuet, vbi centum luminibus cinctum caput, & flammis formidabile pectus, velut ex altiſſima ſpecula lòngè latèq; circumſpicit. Securè igitur prænobile hoc aurum, Superis, religioſi fœderis munificentiâ, donatum; in Carmelo ceu in Sacra noui fœderis Arca eſt ſeruatum. Placent Superis aureæ Carmeli diuitiæ, quas ſolicito ſæpè explorant oculo & percrebra luſtrant apparitione. Quanta auri fames! quæ anteà mortalia cogebat pectora, modò etiam Superos ad ſui amorem euocat. Quorſum enim pænè quotidiana Cælitum præſentia? quorſum huc, illuc, vltro citroque commeantium ſolicita inuiſendi ſtudia! niſi auro hoc Cœlites quoque traherentur. Adeo vel Superûm intaminatos animos, ſancta potiundi huius auri inceſſit auaritia! Quanto verò aurum hoc, in ſublimi Carmelitani Montis vertice repoſitum, cæleſti circumfuſum lumine reſplendet? crediderim hæc Magdalenæ eſſe cælitùs illapſa, diuina reuelationum lumina. Quemadmodum Imperatorium illud cœli ſidus, dum in terſam

auri

auri faciem flectit radios, natiuam magis accendit metalli lucem, & congenitos adauget splendores: ita dum siderum Coelitumque Princeps Christus in tersissimam Magdalenæ mentem, omnis maculæ expertem, diuina vibrabat lumina; magis magisq; cælestem illum collustrabat animum, & ad altissima maximaque diuinorum sensuum eleuabat Sacramenta. Quantas verò à cælesti lumine Aurum hoc quàm ingentes conceperit flammas, quas multæ non extinguerent aquæ, sat Magdalenæ flagrantissima in Deum charitas edocuit. Tanta scilicet amoris diuini vi vrebatur Sanctissima Virgo, vt non modò animo sed ipso etiam corpore colliquescere videretur. Et diffluxisset certè inter tanta amoris incendia à mortali corpore animus, nisi linteis aquâ frigidâ imbutis, depascentium vis flammarum tantisper fuisset sopita. Quòd verò inter examinatorios aduersitatum & morborum ignes, Aurum hoc clariùs emicaret; Magdalenæ illustrior inter aduersa virtus erat. Quanto Stygij hostis impetu, constans eius sectandæ Sanctimoniæ studium premebatur! sed pressum, nō oppressum, validiore surgebat conatu. Quantis tentationum fluctibus iactabatur? sed illæsum semper caput extulit vndis. Quàm feris rugientium leonum rictibus quinquennij spatio petebatur.? sed vacuis semper immanium belluarum faucibus. Cernitis verò vt Cælitum animos oculosq; in aurei splendoris admirationem die noctuque rapiat? hæc Magdalenæ familiaris cum coelitibus consuetudo est. Ornatur ab ipsa Coelitum Regina peplo, pascitur annonâ Eucharisticâ ipso ministrante Summo Sacerdote Christo, instruitur coelitûs de-

tiſſis deſtinatis & ſubmiſſis Magiſtris: & cùm ſublimem humilitatis doctrinam expeteret, à minimæ Societatis IESV Sanctiſſimo Patriarcha Ignatio, humilitatem edocta eſt. Cernitis vt terrena concretione liberum hoc aurum, ad ſidera vſque aureos vibret radios? hæc Magdalenæ de Pazzis conſumatæ virtutis celſitudo eſt. Cernitis denique vt fatali quodam expalleſcit colore aurum, ſed illico meliori luce donatum, ipſa ſidera immortali vincat lumine? hæc Magdalenæ tranſcripta aſtris virtus, ceu ſol inter minora effulſit ſidera. Quantùm decoris, quantùmque ornamenti, ardentibus illis Pyropis ſiderumque gemmis acceſſiſſe credimus? dum aurum hoc inter aſtra repoſitum longè lateq; toto reſplenduit cœlo. Coruſcabant olim inſolito fulgore Solymæ montes, dum ſol in aureos refulſit clypeos; quidni beatos illos æternitatis montes inſolito coruſcaſſe fulgore crediderim? quando Sol Chriſtus in aureum hunc militantis Eccleſiæ clypeum, immenſo diuinitatis refulſit lumine. Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum: Magdalenæ virtus fuluo pretioſior metallo, ipſam ſiderum lucem immortali auxit ſplendore; vt non tàm ornata à ſideribus, quàm ipſa ornaſſe ſidera videatur. Auro templa micant, radiatque altaribus aurum: Magdalena de Pazzis, templorum nitor, altarium decus, vniuerſæ eſt ornamentum Eccleſiæ. Aurum quiſquis habet Superos mercatur & aſtra, captiuoſq; tenet ſub ditione Deos. Quiſquis Magdalenæ præſidio gaudet, Cœlitum tutus eſt ope, & quaſi aureo pignore, obſidem Superûm tenet clementiam. Aurum pace iuvat, nec bello ſpernitur aurum: aurum pugna-

gna-

gnaces mittit in arma viros. Magdalena de Pazzis, Pacis Nomen & Omen habet. Quidni iam aureos imbres coelum in terram depluat? quod tàm copiosam auri materiam è Carmeli auriferis venis baiulo solis radio attraxit? Auratos Rodijs imbres nascente Minerua indulsisse Iouem perhibent canente Poëta, sed veriùs, mutato iam fabulosi Numinis nomine, hodie dixerim, aureis indulgentiarum gratijs coelum irrorasse, quando Summus Ecclesiæ Antistes aureas Magdalenæ opes in Orbis vniuersi emolumentum liberali noxarum veniâ hodie dispensat. Aurea iterum redijsse sæcula gaudete mortales! quando tàm nobile Carmelus parturit aurum, quod feliciore metamorphosi ferreā æneamq́; temporum necessitatem, in aureæ ætatis faciem commutabit, quàm fabulosa olim Mydæ virga personato auri fulgore omnia superinduit. Neq; iam Superi ad mortalium vota supplicesque manus, ferreo poterunt obdurescere pectore; quibus tàm nobile auri munus hodie porreximus. Munus certè naturâ & gratiâ cultissimum; dignum quod æthereo figatur tholo, dignum, quod ad publicæ gratitudinis aras perenne populorum omnium Anathema pendeat, dignū quod Deus ipse ceu gratum amoris diuini pignus, nostræque obseruantiæ monumentum, è pectore gestet suspensum. Exardescet forsan in iras sceleribus nostris prouocatus Deus? apprimemus irato pectori flexanimum auri munus. Trisulca fortè in sceleratos volet vibrare fulmina? aureum munus dexteræ inseremus. Ardebit ignibus coruscus æther? placabimus auro. Bellis regna scindentur! pacem exorabimus auro. Pro populo-

 rum

rum incolumitate supplicabimus? exhibebimus anathema aureum. Persuadere dona & dijs fama est, doctissimi Euripidis ferebatur sententia. Munera quid possint testatur ferrea turris, quam victor fuluo Iupiter imbre subit. ingeniosa fuit vetustatis commentatio. Finxit nimirum Magistra fabularum antiquitas ingenioso Ænigmate, Danaen superstitioso Numini post tentata mille gratiarum stratagemata, tandem inito fœdere conciliatam, vbi personatus auro amor apparuit. At apage fabulas! Sanctiùs hodie ominari publicis mortalium votis fas est ex aureo quod sacramus cælitibus munere. Laborauit hactenus bellatrix Lithuania diuturno placandi Numinis studio; sed ferrea semper pulsauit precibus astra. Supplices populus tetendit Cœlitibus manus; sed in terga populi, ferrea etiamnum desæuijt cœlitum dextra. Subiectis Prouincijs acres indixerunt inedias Sacri Antistites; sed fame etiamnum optatæ pacis; & concordis charitatis caritate, exhaustæ laborarunt Prouinciæ. Statas precandi horas & Solennia Ecclesiarum Sacrificia toties iterauimus; sed puniendi finem necdum sensimus, etsi nullum faceremus finem pœnitendi. Sed melius nunc omen in auro est, non vanè vaticinari licet, vbi è sacri Carmeli Montis Munificentia tàm pretiosum munus, amplissima Diuæ Magdalenæ merita Superis hodie præsentarunt. Munera credite iam olim placabant hominesq; Deosq;, placatur donis Iupiter ipse datis. Quid verò aureum non expugnet munus? quas non perrumpat acies? quas non flectat iras? quos fluctus non componat? Aurum per medios ire Satellites, & perrumpere amat ca-

stra

ſtra potentius ferro ? Nil igitur non aureis Magdalenæ meritis; ceu aureis haſtis expugnabimus, nullaque vis tàm munita votis obſiſtet noſtris, quam aurea de Pazzis arma non cogent ad deditionem. Subegit Græciam Philippus Macedo, innumeras gentes populoſque ſub iuga victor miſit, nunquam ferme, teſte Curtio, cum hoſte congreſſus, quin palmam referret, nullam etiam aditu inacceſſam, fortiſſimis ciuium vallatam mœnijs, annonæ commeatu opulentam, ducis conſilio paritèr, ac militum robore munitam vrbem aggreſſus, quàm victor non ingrederetur. Sed quo armorum genere quâ Miſſilium globorumq; grandine, quo conſilij bellici ſtratagemate, victricia vbiq; circumtulit arma Philippus ? Non Philippus, ſed Philippi aurum, Græciam ſubegit; populari canebat paræniâ triumphata Græcia. Aurato cornu multas non viribus vrbes pulſauit Macedo. Tanti eſt non plumbeas, ſed aureas in hoſtem iacere glandes! tanti eſt non ferro hoſtium pectus, ſed manus auro oppugnare! Quid iam præſidij quid roboris attrita bellicis tumultibus Orthodoxa regna ſperare audeant, dum fortiſſimam de Pazzis Ducem, inuictam militantis Eccleſiæ Amazonem, aurea ope quæ belli neruus dicitur, ſibi ſuccurrentem conſpiciunt, nemo eſt qui non aduertat. Quot inuictarum virtutum agmina educit in aciem, quot heroicorum facinorum inſtruit exercitum, quot ſuperatarum difficultatum victrices Cohortes explicat: tot validiſſima præſidia & auxiliares ſuppetias labentibus ſufficit regnis, collapſis mortalium ſuppeditat fortunis. Gaude iam tanto tuo tàm excellenti bono vetuſtiſſima

iuxta

iuxta ac Religiosissima Carmelitarum Familia ! gaude tàm nobili fructu, non minùs beate quàm locuples Carmele. Tu vetustate originis, omnium Princeps es Ordinum, religiosi nominis fastigio, Mons in vertice montium; sanctimoniæ celsitudine, astris par; profunditate humilitatis, submississimus: vernantibus virtutum floribus, illibatæ castimoniæ lilijs, purpuratis fidei rosis, Elysijs formosior campis; & raris optimi auri opibus, Hesperidum hortis locupletior. Euomat ad depopulandas vrbes, flammas, Vesuuius; iactet saxorum grandinem, feralesq; cineres ad opprimendos mortales Ætna; Carmelus omnium commodo natus, aurum pretiosissimum in tanta orbis vniuersi egestate protulit. Beatas tuas aurifer Carmele venas, è quibus tàm nobile aurum placandis Superis, ditandis mortalibus prodijt! Beatos Sanctissimi tui Patriarchæ Principis Prophetarum ignes! qui à sæculi scoria Pazzianum excoxerunt aurum. Beatissimum deniq; ô Diua Virgo aureum tuum cor, cui gemmeum pectoris sui cor Christus, velut gemmam aureo annulo inseruit. Quis tùm Magdalenam à Christi charitate separauerit? Quis Christum à castissimis Magdalenæ amoribus seiunxerit? quos idem animorum, amorum & morum nexus indissolubili cordium societate coniunxerat. Gaude quocirca, iterum atq; iterum geminatis plaudo vocibus, gaude tuo tàm excellenti bono Beatissima Carmelitarum Religio! gaude quoq; non minore lætandi argumento diues, Sacra ad quam venerabundi hodie confluximus, Coelitum omnium honori nuncupata, dedicataque Basilica. Tuo gremio hoc decus
aure-

aureum deponimus, cui iam pridem dicata est corona Sanctorum omnium. Ad tuas aras hoc aureum anathema Deo Ter Optimo Maximo appendimus, ad quas cœlites vniuersi, sua fixerunt trophæa. Tuo ærario aureum hoc pretium includimus, vt supplicantem pro nobis cœli militiam hoc quasi militum stipendio ad auxiliares nobis suppetias ferendas promptiùs excites. Tuo thesauro has auri gazas addimus, vt debitorum suorum nomina mortales hoc pretio apud Superos redimant. Tuo denique gazophilacio has auri merces inferimus, vt sacra auri huius fame illecti mortales promptiore posthac studio Sacras Tuas Ædes cœlitum omnium honori dicatas, venerabundi colant atque frequentent.

Panegyris de S. FRANCISCO BORGIA

Duce Gandiæ, Pro-Rege Catalauniæ, ac post spretos seculi honores Religioso Societatis IESV, eiusq́ Generali Tertio.

Dum Vilnæ solenni Processione Imago illiq in templum Academicum inferretur.

PRincipem Ducatus Basilicam, Magnus Dux Gandiæ hodie ingreditur. Auditores. Qui Polono Lithuanoque orbi auxiliares Societatis copias, contra hæresum insultus, ab Vrbe orbis vniuersi Arce olim submisit, hodie ab astris ipse, ceu magnum rei Orthodoxæ præsidium, ad munitissimam hanc fidei & literarum Regiam descendit. Assurrexerunt aduenienti Hospiti, diuino planè euentu, erecta in altum noua Basilicæ huius tecta, diceres è ruderibus & squallore, ad pristinum nitorem redanimata; vbi eum senserunt aduenire Hospitem, qui vitam olim literis

Ipse in Poloniam & Lituaniā, Soc: IESV contra hæreses misit.

Eo tempore tectū quod hostilis flāma absumpserat templo impositum.

literis, fideiuigorem, Spiritum pietati, societatem Lithuaniæ donauerat. Assurrexerunt inquam, debito honoris cultu, Principi ac Mœcenati suo gratulabunda; & in sublime erecta, quasi alta elataq; voce, effusæ in Hospitis occursum, Vrbi perorant, cum hodie restauratis sacrorum Larium tectis succedere domesticum, qui olim longo terrarum interuallo dissitus, iacentem per Poloniam Lithuaniamq; fidei ac morum Maiestatem, succollantibus sociorum humeris erexerat. Stabat hactenus, augusta hæc Diuorum Penatum Basilica, barbari Martis ferro, sæuientisque Vulcani flammis deformata, tecto, ceu diademate decusso, triste atq; luctuosum Vrbis stabat spectaculum, Bellici vulneris cicatrix, tot annorum spatio nondum obducta. Sed en, postquam tergeminis Cœlitum honoribus & Diuorum diademate redimitus, Sanctus ac Religiossimus Dux, Societatis nostræ Parens affulsit, quasi ipsa quoq; Basilica lætitiæ sensu tangeretur, exilijt inter publicos cœli, terræque applausus, festiuo vultu, turritumq; tectum, ceu caput, in sublime extulit. Exiliit inquam, Ioannes in sua Basilica, ceu olim materno clausus in vtero: caputq; Basilicæ, quod Moschus sæuior Herode Tyrannus decusserat, iterum mutilato imposuit corpori & ambitioso fastigij culmine, sideribus ipsis propè inseruit; Diceres aurem apposuisse resonantibus toto cœlo D. FRANCISCI triumphis aut certè militantem Ecclesiam triumphanti, mutua associasse gaudia. Ita ad communis lætitiæ consensum, ipsa ornatiùs prodierunt templa, & publicæ Prouinciarum hilaritati, augusta, tectorum fronte amœniùs ar riserunt, quasi bonum suum & reducem

Templum S. Ioannis sacrum.

reducem ſacrorum nitorem in D. Borgiæ aduentu interpretari viderentur. Date locum Diuo Principi, Hoſpitales Sacræ Baſilicæ Penates. Atratum hunc, pullumq; adhuc à communi patriæ funere ſquallorem, quem fumoſa parietum facies præſefert, ipſe ſplendoribus Sanctorum, quibus toto conſpicuus orbe effulſit, deterget, atq; in auguſtam ſuperioris æui transformabit Maieſtatem. Tangitur etiamnū vetere illo, quo Poloniæ commoda complectebatur ſtudio, & ingenti illa animi amplitudine, qua ſocietatis faſces, vbiq; terrarum moderabatur, adhuc omnium proſpicit emolumentis. Felicem hodie Poloniam Lithuaniamq; tanto hoſpite, à quo non vano omine ſibi polliceri audeat, fortunatos domi militiæq; ſucceſſus; regni Optimatum concordiam, populorum ac Prouinciarum exoptatam pacem, hoſtium & rebellium ſubditorum debellationem. Neq; enim paucioribus Comitum gratiarum copijs, beneficiorum hinc inde latera ſtipantibus aſſeclis, victoriarum & triumphorum pompâ longè latéq; antecedente, Prorex & Dux adueniſſe, & ſuis quondam faſcibus parentem Prouinciam obire eſt cenſendus, quàm cùm olim auxiliaribus Sociorum ſuppetijs obiuerit, obitam muniuerit, munitam conſeruauerit. Ampliſſimis eam cumulauit beneficijs mortalis, & iam immortalis, nullum benefaciendi & benefacta accumulandi finem, ſuæ liberaliſſimus Dux ponet munificentiæ. Non ſterileſcunt grandes Diuorum Principum animæ, etiamſi multiplici benefactorum partu, magnâ nominis gloriâ, totum orbem quaſi numeroſo virtutis exercitu impleuerint. Nulla à cœlis inauthoratæ virtutis menſura eſt, quæ nec

ætatum ſerie, aut geſtorum annalibus, nec regnorum vaſtitate, auidam rectè agendi mentem, & nunquam exhauſtos ad benefacta ſpiritus patitur concludi. Breue vitæ & virtutis curriculum natura indulſit, ſed immenſum gloriæ ſpatium extendit. Quo factum eſt, vt alij infidam ſaxorum memoriam, contumacem ferri indolem alij, alij incorruptam annalium fidem, ad perennem factorum gloriam, obſequioſæ artis imperio coegerint, vt ſcilicet, dum in mortali corpore deſijſſent viuere, viuerent adhuc in mortalium animis, & quem inuida fata eripuiſſent ſpiritum, redderet inanime metallum. Nondum igitur ſuperioris æui ſæculo, ſtetit terminata, par immortalibus mortalium commodis, ampliſſima Diui Principis beneuolentia. Quæ ſicut naſcentis in Lithuania Societatis, literarum ac pietatis iecit fundamenta, ita eadem auſpice atq; cœlitus patrocinante, ſolidata; læti hodie conſpicimus: vt celeberrimum literarum Lyceum, ſcientiarum omniũ vniuerſitatem, totius Lithuaniæ ſplendorem ſumma omnium vtilitate & gloria ſuſtineant. Multùm profectò, diuina literarum Præſes, doctarumq; mentium Imperatrix Pallas, Diuo Principi atq; Muſarum Maximo Mœcenati debes, ſub cuius fortunatiſſimis auſpicijs & ductu, auguſtam hanc Lithuaniæ Metropolim, Magni Ducatûs meditullium, cor vniuerſæ Prouinciæ inſediſti; vt quemadmodum è cordis ſinu, ceu vitæ meditullio, finitima & diſſita corporis membra, ſpiritum atq; vigorem deriuant: ita tu ſapientiæ & eruditionis nobiliorẽ vitam in longè lateq; circumfuſos vaſtiſſimi corporis artus, è mediterraneo Sapientiæ Athenæo diſpenſares. Agnoſce venerabunda,

rabunda, Diuum Musarum Parentem Minerua Lituana, è cuius paterno pectore atq; consilio, obstetricante Societatis opera, gloriosiùs in Lituanum orbem ad immortalem prodijsti lucem, quàm olim è fabulosi Numinis cerebro diceris prognata. Non alia te nascentem hìc excepit tellus, quàm antiquissima Ducum sedes, cor amorq; Lithuaniæ, Vilna. Sed neq; decebat nascentem alijs, quàm Ducum incunabulis excipi, vtpotè quæ nō alio Parente, quàm Magno Gandiæ Duce prodijt in Lithuaniam. Occupasti hospitale solum, peruetustam Ducum Regiam, vt sciremus iam tum loci suffragium in auspicijs fuisse. Et decebat sanè Magistram Regum Ducumq; institutricem Sapientiam, non alia, quàm eminentissimâ Ducatûs sede conspici; inter Principum trophæa, doctas miscere laurus; inter Martis arma, Palladis figere hastas. Sed maius etiamnum decore hoc, decus tuum ornatissima Pallas censeo, quòd Ducum incunabulis honorata, etiam ciuium amores & vniuersorum complexum, in Metropoli, corde Lithuaniæ, occupaueris. Quanta igitur quàm ampla nominis sui parte superstes degit, de Lechicis Lithuanisq; rebus plurimùm optimèq; meritus Sanctus Franciscus Borgia. Patebunt tot immortali illius nomini trophæa, per secuturas posterorum ætates, quot ex eiusdem diuinioris consilij oraculo & consensu, per Poloniarum & Lithuaniæ subiectas ditiones, literarum Athenæa assurrexerunt. Non binis inclyta Herculis colossis perennat optimi Ducis ac Pro-regis arctata amplitudo, sed viuit viuetq; immortalis, tot eruditis impressa animis, tot erecta gymnasijs, tot celebrata cathedris, tot consecrata fanis

& aris; quot eiusdem annuente imperio, in Prussia, Mazouia, Russia, Lithuania, Maiore Minoreq; Polonia, summi infimiq; tot Prouinciarum & Populorum ordines, eruditionem in gymnasijs, pietatem in Marianis cœtibus, fidei agnitionem in priuatis publicisq; congressibus, licentioris vitæ meliorem frugem ab Ecclesiasticis Cathedris, religiosi instituti amorem à Magistrorum cohortatione, & intaminatæ vitæ exemplis; ad publicum regni decus & ornamentum, ad perennem propriæ salutis collegerunt beatitatem. Cuncta hæc per omnes fusæ beneficentiæ argumenta, ad te demum authorem redeunt Dux Sanctissime. Omnia per singulos dispersa, eruditionis pariter ac pietatis momenta, quoniam à te profluxerunt, in tuæ gloriæ amplitudine colligi est necesse. Atq; ita Oceano æquasti tuæ copiam virtutis, vt & intra capacem pectoris tui curam, Prouinciarum salutem contineres, & tandem recurreret ad cumulum, quicquid ex immenso zeli tui Oceano prodijt. Tua nostraq; est, quam Lithuaniæ inuexisti, pietas & eruditio, & eò quidem magis nostra, quia Tua: tuis scilicet auspicijs, erecta, propagata, confirmata. Habes vectigales immortali Tuo nomini literas, & æternâ habebis obstrictas gratitudine. Quis verò oratione complectatur, quanta animo ipse possideat decora, quantoq; virtutum apparatu, ac domestico gloriæ censu affulgeat, qui tanta alienis ornamentis impendit commoda? Neq; enim angustam curtamq; domi suæ supellectilem esse oportet, quæ Prouinciarum exæquauerit vota, impleuerit commoda; aut domesticæ luci deesse fulgorem, quæ publi-
cum

cum ſerenauerit, & communes regnorum diſpulerit tenebras. Ita nec Sol terrarum oculus, cæli illuſtriſſimum ſidus, minùs natiui poſſidet ſplendoris, quàm ſubiectis impertiatur terris. Nec fluminum parens Oceanus, minùs vndarum ſuo colligit ambitu, quàm circumquaq; diſperſis flexibus, in continentis vſus diffundat. Sunt ſcilicet ſua rebus, liberaliore naturæ indole indita pretia, quàm in alienas diſpenſata vires. Qui magnorum igitur commodorum Oceanum in Polonas Lithuanaſq; terras exundat, quantis ipſe bonorum ornamentis affluat eſt neceſſe! Illud illuſtri ornamento ſufficiat, ad diſcernendam virtutum illius & ſanctimoniæ copiam, quòd altiſſimo gloriæ impetu, terras eluctata; ad immortales cælitum honores, è diuino orthodoxæ reipub: Oraculo euaſerit. Et meritò quidem, inauthorata à cœlis eius ſanctimonia ad venerationem ſui orbem poſuit in genibus: quem ille iam anteà victori ſubſtrauit animo, ſubſtratoq; ad ſupremos religioſæ vitæ apices gloriosè inceſſit. Meritò terrarum imperia nomini illius religioſiſſimo aſſurgunt, qui calcatis Pro-regis Duciſq; inſignibus ſupra omne id, quòd in regnorum laudibus ſupremum eſt, ſe extulit. Meritò deniq; ex vnanimi Purpurati Senatûs Comitio Magnus Sanctuſq; inter cælites audiat, qui luculento ſinceræ ſanctitatis & magnitudinis indicio, non Pro-Rex Catalauniæ, non Dux Gandiæ, non Marchio Lombaiæ, ſed Franciſcus Peccator inſigniri & conſignari voluit. Nullo ſcilicet illuſtriore veſtigio dignoſcitur ſanctitas, quàm calcati faſtûs tramite. Quemadmodum enim fucato ementitæ gloriæ colore, virtutis Maieſtas
non

non indiget: ita illam ſola demiſſio, genuinâ adumbrat imagine. Quantis ille paſſibus in ſuimet contemptum ibat, poſtquam in Imperatoria Auguſtæ forma fucum humanæ venuſtatis deprehendiſſet. Facilè tum erat perſpicaci vanitatis oculo, diſſimulare purpurati Senatûs Ducumque mitras, poſtquam euaneſcentem nitorem in puluere Iſabellæ legiſſet adumbratum. In eminentiſſimo virtutum faſtigio conſtitutus, infra infame illud Apoſtolici Collegij probrum tantam ſternebat ſanctitatem. Cùm ad Societatis clauum Supremus Moderator ſederet, procubuit ad plantas Proditoris. Cùm, quà Oriens, quà Occidens patet, imperatoria poteſtate, pæne innumeris præeſſet ſociorum domicilijs, ipſe inter ſtygis abdita habitabat demiſſione. Miram demiſſionis indolem! vt alta cælorum petas faſtigia, imis Orci receſſibus deliteſcere! vt aſtra teneas, inferos occupare! Hoc enimuerò eſt tenebris lucem adipiſci, latebris mereri publicum, infima ſede, ipſos gloriæ apices tranſcendere! Iam immanium belluarum cognomento, cultiſſimas ſuas reprehendebat virtutes, iam tuſſientis ſputa inter altum profundæ noctis ſilentium, obſtinatiore tolerantiæ ſuæ taciturnitate excipiebat, iam abiecta viliaq; culinæ obſequia apud Hiſpaniarum Maieſtates, ſummæ gloriæ locò referebat. Nil deniq; non agebat, exquiſitò ingenioſæ demiſſionis ſtratagemate, quod honorem omnem demiſſioni cogeret ad deditionem. Cùm, magno comitatu, virtutum agmina duceret à latere, ſemper tamen latère vbiq; locorum voluit. Verùm quo magis illuſtriſſima virtutum decora tenebris velabat, hôc clariùs promicabant in publicum; non

ſecus

ſecus ac cæli ſtellantes gemmulæ, quæ inter atræ noctis caliginem illuſtriùs ſuam produnt oculis claritatem. Scilicet vt vmbræ magnitudo, prodit molem corporis; ita virtutis Maieſtatem quæſita lucis abſentia Neq; ſatis erat conſtanti victoria denſa honorũ agmina propulſare, niſi etiam corporis caſtrum Principi ſubiugaret animo. Si victûs igitur parſimoniam conſiderem, nil ex lancibus præter victoriam ſui delibabat; quoties extendiſſet manum, toties eo id facere animo videbatur, vt cupiditati negaret. quô factum eſt vt opulentiorem corporis formã eouſq; inediâ afflixerit; vt tandem arida & circumpendente cute exhauſtum & emaciatũ circumuolueret corpuſculum. Adeo crebris verò ictibus, ampla aperiebat corpuſculi vulnera, vt quaſi dolori patentem reſeraret aditum. Adeo ſpontaneis illud circummuniebat ſupplicijs, quaſi omnem delitijs aditum intercludere vellet. Faciebat nimirum id Sanctiſſimus vir, theſauri muniendi ſolicitudine cautus, cuius cuſtodiæ vt vigiles poneret excubias, ſæpe corpus obibat pænis, nodoſiſque flagellis ad vigiliarum officium commonebat O pulcherrimum fortitudinis campum, quo cùm corporis vires frangeret, infractum animi robur firmabat: vt purpureum virtutum decus tolerantia, amœniùs floreret, flagellorumq; ſpinis Roſam hanc circumſepiebat. Cætera verò illius virtutum ornamenta, numero plurima, factis admiranda, ſententiarum pondere grauiſſima, illuſtriſſima ſplendore, quis aut dictione recenſere, aut debito dictionis cultu exornare valeat? Dicamne barbarâ furentis cuiuſpiam audaciâ in Pro-Regis pectus ſtri-

ctum mucronem sola iniuriæ obliuione retusum? absinthio condita edulia vsq; ad delitias irritasse sui amarore auidissimam aduersorum mentem, cui in cruciatum delitias, in delitias cruciatum mira vertebat metamorphosis. Dicamne in sui oppugnationem ex aëris cœlique inclementia, alterna frigoris æstusq; acie, quasi militarem quendam conflâsse exercitium, cui pro certamine inuictam suam obijceret tolerantiam? Dicam ad alienos nutus ita comparatum tanti Herois pectus, vt Laici hominis arbitratui ad amussim se addiceret? Dicam eousq; oculatam intaminatamque percoluisse mentem, vt cùm perennibus supplicijs acriùs tenuissimas horreret noxas, bis tamen diem reatibus diceret in die, diuino supplex tribunali? Aut Seraphico diuinitatis commercio ita perfruitum, vt ad aras quasi ipsa litaret pietas, precationi tanquam corpore & sensibus solutus, insisteret? Numini Eucharistico quasi domesticus & ab ædibus familiaris, perpetuus adesset cultor? Dicam cælestium instinctu oraculorum sæpiùs edoctum animum? vt & cogitatione cominus legeret dissita, & abdita penitiori rimaret mente, & quod beneficij maximi vice refero, Societatis nostræ Alumnis, æuiternam, si perdurarent, felicitatem, disceret adpromissam. Cumulatè hæc omnia dictione persequi nec orationis dignitas factis impar sustinet, nec pretio literarum illustrior virtutum splendor patitur. Illud solatij Dux & Parens Societatis Sanctissime inter communes cœlitum ac mortalium plausus capio, quòd publica orbis gaudia sint suppletura, quæ desunt dictio-

nis

nis tenuitati. Hoc ad extremum, omnium voto ſupplex oro precorq; , vt ſicut ſub Tuis auſpicijs, Minima IESV Societas, Colonias in Poloniam Lithuaniamque traduxit, ita Te cœlitus patrocinante ſuis ſemper indefeſſa fungatur laboribꝫ ad perennem omnium beatitatem.

ORATIO
De Inſtitutione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.
Stratagema ſub ſpecie Conuiuij

ELuctaturus ad præcelſi montis faſtigia, inuictus dolorum & amorum Achilles Chrriſtus; epulo vires antè inſtaurat Arduam atq, prædifficilem cum mortalibus luctam initurus, tanto robore pectus ad arma communit, quanto ipſe pollet Deus. Seu victurus ſeu vincendus in formidoloſa dolorum & mortis acie, non deſeret fidiſſimus Dux milites; quorum pectora æterno occupauit fœdere: Quod vt immortali ſanciret Sacramento, diuino ad perennem mirabilium memoriam exarauit ſanguine. Ne metuas verò infracte periculis Heros Diuine, Inuictiſſime Bellator, aut longa protrahendi prælij tempora, aut arctam obſidionis neceſſitatem. Annonæ ſiquidem copiâ deſtitui non poteris, poſtquam Martij panis commeatum tàm liberaliter inter tuos diuiſiſti commilitones. Nemo quoque inſultus hoſtium, inimicas Stygis phalanges aut aduerſas orbis cohortes metuit; quem cibus fortium, victor cæli terræq; panis ad bella roborauit. Antè orbis illabetur & terrarum nutabit moles, quàm animo ille

 conci-

concidat, quem ad prælia erigit ſolidatq́; ſuo pane Deus. Nemo quoq́; in Chriſti Caſtris, latebras inſidiarum, inter occulta conſiliorum Sacramenta metuat. Suaui licet Panis involucro, quod multorum fomentum conſueuit eſſe malorum, bellicæ artis ſtratagema tegatur: dolo tenebrarum nihilominus obnoxium non eſt, quod Sol ipſe, ipſaq́; palliauit Veritas. Candidis licet occulitur nubibus, cæli Oculus; ſpargit tamen vel occulto meatu, ſinceræ veritatis radios, quibus abdita pectorum dum minimè apparet, colluſtrat maximè. Ludit ſuæ artis methodo amor Deus. Vulgari fœdere amicitiam cum hominibus ſanciturus, dulci ambroſia, pectora demulcet. O mortales! ſi Panis potûſq: pretio, humanos non conciliat amores Deus, quo tandem doli genere, mortalia irretiet corda? Scio Hæbreos Pontifices, Vrbe, & ſi fieri poſſit, etiam orbe vniuerſo, vrgere Euchariſtici Ducis exceſſum, vt amplior ſceleri pateat locus, pulſa virtute. Et diſſimilaturus quidem crimina, longanimis & patiens Deus, ſub veli abdita tantiſper tranſiuit. Tanquam maximi in amore exceſsûs reus, proſcribendus; ipſe vltro exul, omnium ſe eripuit oculis; peregrino velatus amiculo. Hoſtium tamen conſpectui duntaxat ſublatus, Amoris tecta ſubijt & incolit domeſticus. Vita mortali priuandus, ipſe ſibi adimit ſenſus, & tanquam è viuis migraſſet, expalluit; mortuo quàm viuo ſimilior. Non alio tamen quàm noſtri telo amoris conſoſſus, exanguis, pallorem mortis induit.

Apage verò infamis è Chriſti caſtris transfuga, Apoſtolici Senatus probrum, dealbatum foris monumen-

tum

tum, plenum intus auaritiæ furtiq; exſuccis oſſibus. Antè Ducem Euchariſticum in perduelli fœdoq; tumulaſti pectore, quàm Iudæa illum perimeret Tyrannis. Quãquam ipſe hoſtibus crudelior, tot authorem vitæ ſauciaſti vulneribus, quot argenteis nummorum confodiſti ſpiculis. At tu animorum noſtrorum victor & incola Chriſte; cœptum ne deſtiteris proſequi ſtratagema. Adorna nouum triumphatoris in panis rota vehiculum, & corda ſubiectorum ceu triumphale inuehere Capitolium. Etiam rebellium triumphabis pectora, vbi bellum tuum eſſe conuiuiũ lautitijs inſtructum didicerint. Nullum amicitiæ vinculum ſuauius, magiſq; ſociale quàm Cereris. Par ferme auri & panis, ſacra fames, mortalium plerumq; ſubegit mentes etiam ad fidei deditionẽ. Miro hoc Diuini aſtus adinuento, arces & caſtra, omnium ſcilicet animos, ſolus ſine milite ſine armis occupat. Candidus tamen etiam in aſtu totus eſt, quia ipſo ornauit dolum candore. Procul nihilominus vult eſſe ſenſuum experimenta, veritati explorandæ. Fallax mortaium ſenſus eſt, etiam ſub ſpecie & innocentia candoris. Sub mellis nectare, virus latere ſolet. Sub pulchritudinis forma, criminum laruæ, virtuti inſidiantur. Omni ergo erroris periculo nos exemptura veritas, oculorum fidem, è ſuorum militum caſtris proſcripſit. Panem excucullatus Saxoniæ epulo credidit & pannica fide veram Germaniæ fidem pæne extinxit. Stigmate notatus Galliarum Apoſtata, vmbratilem duntaxat notam ceu caſſum nucleo putamen putauit, vt nucleum orthodoxæ veritatis, Gallicanis ſubtraheret Eccleſijs. Nobis quibus

ſincerior à velato Sole affulſit veritas, indice diuinæ fidei radio; ſicuti eæ ſolæ ſapiunt delitiæ, quas arduo cælorum faſtigio repoſitas, fide prælibamus: ita alias nullas in cæleſti hoc epulo æſtimamus, quàm quas ipſe deliciarum fons condiuit & ſuo probauit palato Deus. At erubeſcant ij, qui à communione vitæ & calidiſſimis Diuini amoris dapibus, non tantùm vitali calore non incaleſcunt, verùm etiam immedicabili torpore animi emoriuntur. Ita transfuga è diuino Conuiuio Iſcariotes, in amentiam ab amoris poculo prolapſus; ab igne conſumente, lethali frigore correptus, vndiq; ignes & faces ex aulis Pontificum collegit. Verùm mira antiperiſtaſi, vehementiùs vas contumeliæ ſtringi cœpit, donec congelatâ, quàm lautius hauſit, iniquitatis aquâ, tanto diſſilijt impetu, vt ipſa corporis animæq; vincula diſruperit. Sic vitæ proditor, mortis mercator, ſalutis remedio, necem ſibi conſciuit, atq; à maximis opibus ad extremam redactus eſt egeſtatem. Hoc ſcilicet eſt ingrata mente capere beneficia, vt poſt accepta fias egentior. Compenſaturus tantam improbi animi labem, munerum ſuorum largitor Chriſtus, ipſe ſibi gratias agit, ipſe hymnum in liberalitatis ſuæ encomium occinit.

Et decebat ſanè Panegyriſtam ſuarum laudum agere Deum, in cuius enarrandis encomijs, omnis deficit & conticeſcit oratio.

P A-

PANEGYRIS
De Oratione Christi in Horto Gethsemani.
CHRISTVS Florum Princeps.

EXpleto epulo, Hortum ingreditur, florum Princeps Principumq; flos Christus. Et quò aliò veris æterni amœnitas, Elysiorum gloria pratorum, cœlestium hortorum purpuratus decor concederet? quàm vbi vernæ pulchritudinis, ridentium prati syderum, genuinum est theatrum. Decebat minores inter flores, Principem vernantium terræ optimatum, in florido horti solio tantisper delitiari. Et adest quidem, Apostolicorum Senatu Triumvirorum stipata, nunquam marcentis Paradisi amænissima Maiestas. Coronam Principis nostri floridam non immeritò lectissimos recens plantatæ Ecclesiæ flores, Apostolicos Proceres dixerim. Sed hem! quæ vna nocte, siue ad ardentium faces ignium, siue ad Hæbreorum tyrannidem, tanquam decoctricem nouellorum florum pruinam, pene emarcuit! Verùm vtvt sit, adest terno Discipulorum pignore, tanquam è recens gemmantis Ecclesiæ, ceu vitis, floribus, contexto ornatus diademate. Sed abijs auulsus, Augusto vertici, floridam coronam tantisper detraxit; vt inter quietis noctisq; silentia; quibus Regia cum curis diademata ponere solent Cæsares, & ipse prægrandes mentis curas & maxima orbis negotia, oratione fulturus, liberum animum, sibi Deoq; impenderet. Nihil etenim nostræ cum summo Numine consuetudini interesse

esse oportet, ipsi nos, sine nobis accedamus necesse est, vt totos nos astris & Cœlitibus dicemus. Verum enimvero tenax floris nostri terra, tantum abest, vt eum à sui complexu dimiserit, vt potiùs humo affusum reclinemq; , familiaribus strinxerit brachijs. Terræ ergo affixus mœstissimus Seruator, solum nouellæ Ecclesiæ, in fæcundam florum Matrem, diuini cruoris semente consecrat, atq; seipsum Regem florum consito implantat paradiso. Cresce ô pulcherrimum hodie sati Paradisi decus, cresce immortalis arbor vitæ, perennis felicitatis fructus, humano generi latura! Implanta florum sator, Angelicæ integritatis candida lilia; videbis olim candidiores lilijs prodire Virginum mentes. Insere purpureas innocui cruoris Rosas, spectabis olim augustiorem rosis pullulare Matyrum Heroumq; sanguinem: Insige cœlestium violarum decora; cernes pulchriora violis, inuiolata religiosarum mentium exurgere germina. Immitte deniq; sacratæ tuo sanguine glebæ, reliquam vernæ amœnitatis pulcherrimam turbam, vt amore iam iam te languentem florum Regem, florido stipet fulciatq; obsequio. Crescite iam artifice terræ cælorumq; manu sata germina, crescite inquam in vberem fructuum segetem, quando nouellis plantis rigandis, cælum liberali calice irrorat, cœlestesq; affundit imbres. Quin & ipse florum sator Christus, commissa terræ semina diuino ad vbertatem humectat sanguine. Terræ creditus Gorgonis cruor, horrida monstra terribilesq; visu laruas peperit. Dabit monstrorum domitores, septemcipitum victores laruarum, Ecclesiæ gleba, ferti-

fertilissimo Christi sanguine culta irrigataq; ? At vnde recens consito horto; nobiliq; sementi, infelix illud sterileq; accessit lolium? quod noctis vnius spatio ceu terræ sanies putridumq; peccantis soli vlcus est enatum. Proh quàm pestilens aura à virulento fungo spargitur; vt fatali illius halitu afflatus flos noster, protinus marceat concidatq; , inter carpentium militum & perfidi Olitoris proditorisq; manus. Agnosco vestrum Hebræi Pontifices consilij partum, quo vrentes hæ vrticæ sunt effusæ. Cingite nihilominus regio sanguine satam Rosam aculeatæ fustibus gladijsque spinæ. Terat conteratq; crebris ictibus ferrea militum manus, fragrantissimum cæli terræq, florem, dabit ille inuictæ patientiæ, fortitudinis, clementiæ, & sexcentarum virtutum gratissimos odores, in quorum fragrantiam Cœlites ac Mortales, trahente doloris pariter ac amoris affectu curremus.

ORATIO
De Spinea CHRISTI Coronatione.
Honor Honore illusus.

POst iniqua illa versipellium Pontificum, tribunalia, post luctuosum sanguinis naufragium, ad infamem columnæ scopulum, post iteratas accusationum & contumeliarum vices; tandem Præses Romanus insigne Regnatricis Maiestatis Sceptrum, Christo inserit: non vt Regem Iudæorum denuntiet, sed Regi Regum illudat. Leuem arundinem, sceptri vice offert, satis illustri leuitatis suæ testimonio: qui populari aurâ, huc illuc se fle-

cti, instar arundinis vento agitatæ patiebatur. Quamquam saxo duriorem eum non immeritò appellauerim, cuius pectus ad conspectum viri dolorum, magis obduruit. Porrigit, inauthorato patientiæ & dolorum Principi, Ignominiosum leuis sceptri decoramentum, graue sceleris nostri pondus, suauis facilisq; iugi Christi argumentum. Respondet sceptro, diadematis ratio. Illud ludicra & probrosa adumbrauit arundo; hoc crudeles spinæ & ferrea militum dextera formarûnt. Leue & hoc coronarium dedecus dicerem, nisi & scenica & sentosa hæc Maiestas, adoratum cœlo terræque verticem grauissimo sauciaret dolore, palmariq; contemptu ad ioculare illusi Regis solium deprimeret. Leue tamen diadema est, quia gemmarum aurique pondere è subditorum fortunis conflato, non grauescit. Imperat vili sentibusque aspero redimitus ornamento Rex noster: vt nos aureâ gemmeaque decori coronâ, perenni beatitatis potiamur regno. Erubescat tamen, quisquis leuium fluxarumq; sectator voluptatum, sub spinoso Imperatoris capite, imperialia delitiosi regni ambit fastigia. Mollibus rosis, floridoque stratum tramite iter, ne quærite delicijs innutriti mortales. Via Regia Christus, spinis strata est, sentibus, angustum, ad Regni honores, callem indicat. At quanta vestra est immanissimi milites in mitissimum Seruatorem crudelitas! quibus satis non erat, orbis fulcrum, cœli Athlantem, terræ baiulum, validissimis virgarum ictibus arietare vt immobilem, in ruinam premeretis; nisi etiam speciosâ personati honoris scenâ, Maiestatem in ludibrij theatro exhibe-

hiberetis. Ferenda fortè foret crudelitas, si fortitudinem infirmitate, tolerantiam cruciatibus, quasi commissa acie impeteret: at ementitæ venerationis specie virtutem ridere, laruato cultu ludere authoritatem, hoc vtique est inaugurari Regem, vt facias mancipium, colere Maiestatem vt eandem prostituas, honorem honore contemnere, venerationem veneratione elidere. Regia insignia, ioculari suffragio, nato cœlorum Principi obtrusistis, vt adimeretis Hebræi imperij solium. Regem adorastis, vt regno eijceretis. Diadema infixistis, vt ad formam serui deprimeretis. Sed agnoscit personatum clementiæ ingenium, vel ipsa aculeatæ asperæque indolis spina: quæ acri aculeorum stimulo coacta pungere Dei verticem, simulatæ vestræ exprobrat clementiæ. Minùs illa pungit sentibus, quàm vos adscititij honoris studio debitum Numinis honorem confodiatis. Illa quasi aperto Marte arcem sacri verticis, dolore oppugnat, sensum vbique excubantem vulneribus sauciat; vos fraudulenti cultus stratagemate, ipsum dehonorastis honorem, ipsam reddidistis gloriam ingloriam. O poli annularis gemma, ô Dei & hominum vnio Christe! itane spineo insereris annulo? Habet cœlestem annulum Cœli oculus gemmaq; Sol, habent aureos suos orbes, cætera cœli sidera, sola gemmarum pretiosissima, vnionũ nobilissima vnio Christus, sentibus innectitur, spinis includitur. An forte mirando hoc noui nexus symbolo, summa imis, imaque summis nectenda, auitum mortalium puluerem Deo sociandum, diuina adumbrat sapientia? Quicquid sit, cingite Rosam spinæ, vallate

vepres Lilium, circumdate hortum conclusum sentes; custodite inuentum in agro thesaurum horridæ sepes. At aduertite illibatæ mentes, florida Sponsi vestri insignia: aculeis non delitijs plena sunt, dolorum sentibus, non voluptatum sensibus abundant. Pari vos diadematis æmulatione teneri est necesse, si paria integritatis præmia delectant. Non est virtutis vllius, & vel maximè, illibatæ molle documentum, etiam cæcutientis seculi Philosophus olim edixit. Quantò vaniore nisu ad intaminati palmam pudoris illi contendunt, qui floridos delitiarum gradus scandunt, vt spinosæ pudicitiæ sublimia occupent fastigia. Horret sentibus, pudicissimus Sponsus mentium, & quo calle ad intemeratæ virtutis culmina sit enitendum, spinosi capitis vertex, ceu regiæ rectissimæque prodromus viæ præmonstrat. Pergite imbelles animæ ad præclarissimæ virtutis apicem, excutite desides cursores teporem, cui exstimulando, acre addit calcar, stimulatrix desidiæ vestræ spina. Inscribite casta nomina, candido Virginum albo, en calamum spina vobis format: format eadem quoque gladium, quo Virginum hostem, voluptatem confodiatis. Candida virtutis huius trophæa sunt, sed cruentis constant pugnis. Te hic compello, sentibus spinisque cruentate Virginum Sponse IESV! adapta inimicos illecebris vepres in arma telaque tutandæ pudicitiæ: effinge in castiorem Cyprio spiculatore arcum flexilem, quam manu præfers arundinem, quo candida tuorum signorum phalanx instructa, gloriosam de hoste amicissimo scilicet seipso reportet victoriam: Occinat verò in Virgi-

neis

neis tuis Castris palinodiam lyricus, qui olim modulabatur nec iaculis nec arcu, vitæ egere integritatem. Parthenium hodie inter difficillia pudicitiæ certamina, melos resonat.

Integer vitæ scelerisq; purus,
Indiget Christi iaculis & arcu,
Et venenatis grauida sagittis.
Fusce pharetra.

ORATIO PERANTITHETA De CHRISTI Passione.

LVctuosum die hodierna nobis proponitur spectaculum, Auditores. Cœliterræque Imperator, naturæ mortalis atque immortalis Author, regum terror, fulmen Cæsarum, Deus ter Optimus Maximusque in probrosam contumeliarum scenam educitur. Videte multis vulneribus liuidum, qui magnus è cœlis descendit Medicus. Cernite sputis & squallore deformatum! qui candor est lucis æternæ. Intuemini Vrbe & Orbe proscriptum, qui cœli terræque hæres est. Considerate flagellatum, qui æterno supplicio addicit impios. Aduertite spinis coronatum, qui beatos coronat cœlites. Contemplemini sub infami crucis mole fatiscentem, qui cœlorum & terrarum pondera, infractus supportat Atlas. Aspicite Deum Hominem in cruce distentum, qui homini Deum in cœlis coniungit. Adeste tàm luctuoso spectaculo lacrymis ô cœli terræque oculi vniuersi! Adeste

 cordium

cordium delitio, amorum amori, ſanguineis rubicundo malis, ô cælitum atque mortalium pectora! Ego obmuteſcenti Verbo, balbutienti adero lingua, non quidem vt Orator eum defendam, quem omnes hodie condemnant Iudices, ſed quia patienti Verbo, nulla re nos rectiùs poſſe compati exiſtimo, quàm linguæ officio. Poſtquã in cænaculo lautitijs vacaſſet Deus conuiua, placet & in Horto delitias quærere. Sed inuenit ſpinas ſuas Roſa, inuenit ſua ſpicula Amor; reperit ſuos luctus gaudium vniuerſi. Non ſine ingenti doloris ſenſu, auulſus à Diſcipulis montis ſupercilium, pacis arboribus conſitum, aſcendit; inclinato corpore pronus Patrem oraturus. Auellitur à chara ſuorum Triade optimus IESVS, qui perenni vinculo, Sacroſanctæ illi iungitur Trinitati. Præcelſi montis faſtigium occupat cœlis altior, qui omnium hodie teretur pedibus. Pacis cliuum ambit, qui ad formidoloſam expoſcitur pugnam. Pronus terræ alliditur, qui hodie pro cauſa noſtra erectus ſtare debebat. Verùm quæ tantorum cauſa myſteriorum? Reſpondet ſanguine exaratis literis Verbum incarnatum, & cum in cauſa ſua hodie vix ſit locuturum, vocis loco, ſanguineo eloquentiæ flumine cupit eſſe diſertum. Cur igitur à diſcipulis ſit diuiſus, cur in præalti Montis cacumine, cur in pacis theatro, cur humo affixus, tot linguis loquitur, quot cruentis Cœlum & terram, Deum & homines inclamat vocibus. Ecce quem terna Pontificum Regum, Cæſarum tribunalia hodie reijciunt, in vmbratili à tribus Diſcipulis auulſione, meam ipſe præuenio reiectionem. Ecce qui ſublimes faſtuum mentes, ſuper-

ba iudico ſupercilia deprimens, in alti montis ſupercilio humo allidor: ecce qui pacificæ ramos oliuæ, orthodoxæ Chriſtianorum arcæ inferam, iam Olıueti montem ſedulus luſtro, ſi quem optatæ pacis ramum decerpam. His perenne Patris Verbum ſanguineis vocibus ad nos perorat, poſtquam obſtinatum ſuæ linguæ ſilentium indixiſſet, vſque ad Crucis Cathedram ſeruandū. Irrumpunt interea hortum furentium agmina militum, ſcelerum anteſignano Iudâ. Præfert tenebrio facem vt ſolē videant, accendit nocturnos ignes, vt diem intueantur, adeſt lucernâ Diogenes, vt hominē Deum inueniant. Reperiunt tandem in tenebris lucem, in nocte diem, in horto florem campi, ſub dio Deum. Reperiunt, inquam, vt amittant; tenent, ne habeant; compræhendunt, ne capiant; vincula inijciunt, vt libertatem perdant; ducunt cauto tramite, vt aberent; ingrediuntur Hieroſolymam, nè, cœleſtem ingrediantur Hieruſalem. Quò quò pergitis errorum cohors? itane à tramite deflectitis, qui rectiſſimam viam præ manibus habetis? itane ad mortis ſupplicia properatis, qui perennem ducitis vitam? itane mendaciorum tribunalia aditis, cum præſto ſit vobis veritas. Siſtite præcipites furiæ, ſiſtite amentes animæ. Verùm quid inanibus eos detineam verbis, qui Verbū tenent Incarnatum. Nihil ſoluta dicendi facultatem curant, poſtquam tanto ſtudio ligando Verbo ſe addixerunt: Rapitur igitur innocentiſſimus agnus ad cruentam victimam, pura hoſtia ad impios Sacerdotes, ouis ad lupos, omnium criminum innocens ad æternæ mortis reos. Niſi & ipſe Devs, reus dici amet, poſt-

quam

quam se nobis tanto obstrinxisset amore, Quid verò iam pro amoris captiuo, charitatis reo, apud sacra Pontificum fastigia, mea perorabit lingua? defendam beneuolam omnibus humanitatem, an Iudicum barbariem, accusabo? expertē peccati integritatem tuebor, an iniquitatem militum arguam? pro DEO loquar? an contra homines agam? tutissimum firmabo in Iudicio, an causa imbelles infringam? potentissimo robur argumentorum addam, an infirmitatem hominum arguam? viuorum atque mortuorum Iudici patrocinabor, an omni ope destitutos oppugnabo? Non vult integritatem suam defendi Christus, vbi Iudex æquitatis insignia, iustitiæ tesseram, vestem Pontificiam lacerauit: non vult rationum momentis suam stabiliri causam, vbi ferri pondere opprimitur innocentia. Non vult pro se perorari, vbi æterno Verbo ferreâ manu imponitur silentium. Dicam tamen & vel inter ferri minas, stygios non expauescam Rhadamanthos. O iniquissima Iudicum tribunalia! ô criminum sedes! ô iuris diuini atq; humani exitium! ô veritatis pernicies! ô mendaciorum Patres! itane ferro etiam innocentiam corrumpi sinitis, quam nonnisi, pro auri pretio iniquissimi prostituunt? itane superimpositis reo vestibus causam examinatis, cui omnia detrahenda forent, vt penitus veritatem inspiceretis? itane vultum & oculos reo obtegitis, quem cognoscere Iudices debetis? Spectas hæc ô æquissima rerum vindex Nemesis, neq; impias Iudicum sedes flammis vltricibus inuoluis? Spectatis id astrorum Principes addictissimi Regi vestro asseclæ,

neq;

neq; latera veſtra pro Domino opponitis? Spectatis id orbis vniuerſi incolæ, neq; pectorum tutelâ caput veſtrum propugnatis? Sed non patitur innocentiā ſuam patientiſſimus Dominus alieno ſubſidio defendi, qui propriâ non vult ſe tueri virtute. Non patitur cœleſtes cohortes ſibi patrocinari, qui vltrò ſe poteſtati tenebrarum obiecit prædam. Deſertus igitur ab omnibus, cæli terræq; ope deſtitutus, tandem & proprijs quibus innocentiā tuebatur veſtibus, denudatur. Adeo noſtri causâ, omni ſeſe abdicat aliorum patrocinio Chriſtus, vt ab omnibus deſertus, neminem ipſe deſerat, à cunctis derelictus, vniuerſos ſuſcipiat: omnibus ſpoliatus, cunctos gloriæ luce ceu veſtimento induat. Nudatur ergo ille, cuius oculis nuda & aperta ſunt omnia. nudatur veſtibus, qui cœlum ornat ſideribus, terram pingit floribus. nudatur veſtibus qui Regum capita ornat diademate, dextris ſceptra inſerit, Purpurâ Auguſtos Principum circumdat humeros. nudatur charitas quæ multitudinem operit peccatorum, exuitur innocentia, quæ reos criminibus abſoluit: ſpoliatur theſaurus, qui ditat egenos: diripitur ærarium, quo vniuerſa mortalium victitat Reſpublica. Neq; ſatis eſt ſpoliari diuitias, denudari Maieſtatem, niſi quoq; marmoreæ adſtringatur columnæ petra diuiniſſima. Quis hic iam fulminantes flagellorum ictus, armata verberum agmina, inordinatos cædentium ordines, oratione recenſeat? Non patiuntur ſe oratorum numeris adſtringi, qui omnem cædendo numerum exceſſerunt. Naufragari in ſanguineo hoc oceano, & ad infamem marmoris ſcopulum allidi orati-

N onē eſt

Continuationem hujus sensus vide folio 98 ulterius

uerforum Iudex, arguitur feductionis, fapientia; blafphemiæ, Religio. Afpicite Religiofiffimæ mentes, Regem veftrum adeò palmari falutatum ignominia. Intuemini faciem fanguine purpuream, contemplemini vultum illum, oculorum noftrorum vnicum delitium, tumore liuefcentem. Heu crudele barbarumq; & omni immanitate funeftius nefas! fed in hoc nouo Tragædiæ genere, nouum aliquem vobis exhiberi chorum defideratis? non deeft profectò. Adfunt piæ Diui difcipuli lacrymæ, quibus amarè fua deflet crimina; adfunt querelæ, quibus immaniffimā execrandæ Iudæorum turbæ ferociam accufat, & Saluatoris fui dolores, vulnerum rimas, fuis notat lacrymarum guttulis. O dulcem fletus tui beatiffime Apoftole amaritudinem! ô verè mel fuauiffimum, & fauos de Petra euocatos! Fleuifti amarè; fed prętiofo lacrymarum tuarum fluuio, non folum deformes eluifti maculas, fed etiam vultum Saluatoris tui fuauiffimum fœdo fputorum imbre fqualentem, crebris colaphorum fulminibus intumefcentem abluifti. Nolo hic commemorare reliqua infomnis infolentiæ in fummam Maieftatem ludibria; nolo enumerare infinita cruciatuum genera, quæ nox fuis inuoluit tenebris, quæ confcij parietes, lugubri, texerunt filentio. Adeft omni nocte triftior dies; adeft ille dies, quo Illuftriffimus cœli terræq; Sol, vt viliffimus tenebrio, in apertam lucem rapitur; quò, repetito concilio, extremæ mortis reus, author vitæ conclamatur. Sugillatur Deus vt nequiffimus impoftor, fiftitur Prætori, multorum criminum nomina, vno malefactoris vocabulo in compen-

di-

dium vocantur. Grande profectò maleficium, languentes solidare, immundis lepram tollere, corporibus Dæmonia, animis scelera, hominibus ærumnas abigere. Quid hîc Auditores, iam fore existimatis? Quid Prætorem egisse putatis? fortè innocentissimum & nullius vnquam criminis participem absoluisse non vanè censetis? fortè vitæ authorem, vitâ donasse, non minùs piè quàm iustè creditis? cognoscite iam quæso rem tragicam, & non solùm inspectantibus, verùm etiam audientibus luctuosissimam. Videri voluit misericors, qui reuerà fuit crudelis; videri voluit iustus, qui reuerà fuit iniquissimus; videri voluit innocens, qui ipsam condemnauit innocentiam. Virgis igitur, non iam ciuem Romanum; [quod scelus erat] sed ipsius Dei nobilissimam prolem cædi iubet. Proh quanta in furente Iudice timenda immanitas, si in miserente tanta spectatur crudelitas! Armantur non minùs scelere, quàm crudeli scorpionum, virgarum, neruorumq; apparatu dexteræ; spoliantur virginei eius humeri tegumentis, qui omnia immenso sui luminis splendore tegit vestitq;. Nudatur ille, qui informis terræ nuditatem, suaui florum palliauit amænitate. Tunditur, flagellatur, cœlorum Princeps, terrarum Dominator; cuius vnius dexteram, Cæsarum sceptra, Regum Diademata, Imperatorum trophæa expauescunt. Succumbit plagis, vniuersorum Dominus, ne nos vilissimi succumberemus vermiculi. Fatigatur in cruento opere, mutuò succedentis cohortis lacertosa ferocia; scelera accumulantur sceleribus, toto corpore vnum vulnus innumeris tegitur vulneribus.

Deserunt

Continuationem hujus sensus vide folio 104. ulterius

ipſe Iudæis crudelior, Romanis iniquior, ſcenam hanc doloris & furoris inſtruxi, ego clauos ſuggeſſi malleum dextræ inſerui: ego cædentes animaui, ego ſpinas & tribulos maledicta terra genui, genitos collegi, collectos in coronam texui, textos capiti impreſſi. Ego vincula ſuppeditaui, cùm marmoreæ alligaretur columnæ: ego duro ſtringebam nexu: ego flagella ſubminiſtraui dextram ad flagellandum impuli, ictus ictibus addidi, & cum ferientis dextra laſſeſceret, laſſæ vires nouas addidi, ego per tribunalia circumduxi, conuitia commentus ſum, acuſaui, condemnaui: ego Iudæ faces paraui, paratas accendi, accenſas prætuli: ego in horto ſanguineum ſudorem elicui, qui in paradyſo cum Adamo pomum vetitum decerpſi; ego dolorum cauſa, malorum omnium ſeges, materies & argumentum tragædiæ vniuerſæ. Sed qui tibi cauſa extiti patiendi moriendique, ô ſalutis noſtræ Reparator Optime: Tu mihi quoq; ſis efficax vitæ immortalis remediũ, vt qui Te malefactis morti tradidi, Tu me Tuis beneficijs, vitæ addas ſempiternæ.

P A N E G Y R I S
De Paſſione Christi.

POſt teſtamentum charitatis, poſt relictas hæredibus in diuiniſſimo epulo diuitias, tandem ingrata Vrbe exceſſit, ſalutis noſtræ Via Chriſtus, & hortum ad plantandam Vitæ arborem ingreditur; vbi pacem, cælum inter & terram conciliaturus, Montẽ Oliueti, ceu genuinum pacis theatrum occupat. Sed cito heu

tò heu, ah nimis citò, nefandus proditor Authorem pacis insecutus, belli feralia vincula, nostro pacificatori inijcit. Festinat in venenata oscula, sceleratus pacis simulator; & initam ad epulas concordiam, belluino dilaniat dente: explicat hostilia in basium labra, & charitatis tesserâ, iurata denuntiat prælia Quò ruis effrenata licentia? quò ferrum, catenas, vincula expedis? Nimis cæca es, si in inocentia cum facibus peccatum quæris? nimis prodiga es, si ideo Deum quæris, vt inuentum prodas! O infelicem proditorem, qui pacis Principem amoris pignore prodidit! ô iniquissimum mercatorem, qui inexhaustum ærarium tàm vili vendidit pretio? Rapuit densa furoris manus mitissimum Principem, insilijt in mansuetissimum agnum, plusquam ferina Iudæorum rabies, anteuolat manus manum, ictus ictum, violentia excipit violentiam; vellitur, contunditur, quà ferro, quà pugnis, quà vinculis, inter inconditas voces, inter conuitiorum plaustra: in mitissimum sæuitur Patrem, iactatur nobilissimus terræ hospes, illuditur Maiestas, adstringitur immensitas, gloria proculcatur. Tenet eum parricidalis petulantia, qui tenet omnia, stringit manus miraculorum officinas, captiuat in peccatis suis, qui peccatum non fecit. O extremam ingratitudinem! munificentissimum Patrem, catenarum stringere amplexibus, & eum qui se naturæ nostræ miraculosè illigauit, iniurioso religare ferro. Ingens profectò theatrum! libertatis vindex, reuinctis post tergum brachijs! grande oculorum pabulum, Pater filiorum ludibrium! Deus apud homines miser! Accusatur vni-

 uerso.

Continuationem vide folio 202. retro

onem eſt neceſſe, adeò decumanis maiores furunt flagellorum tempeſtates. O furor cædentium! ô patientis amor! vtri in triumphalem coloſſum marmorea moles aſſurgat, dicite ſpectatores Angeli, dicite Auditores mortales. Plus perferre amor noſter poteſt quàm furor inferre. Vicit ergo amor, vincenti triumphatrix pyramis perenne erigit victoriæ monumentum. Nec deſunt victricia triumphatori contra furorem inſignia, vel à ſpinoſo diademate, & leui arundine petita. Sic nimirum triumphare eum decet, qui vincit furorem amor, dolorem patientia. Adeſte iam effuſæ aſtris Cœlitum cateruæ, & inauguratum cœlorum Principem promptis adorate ſtudijs. Adeſte mœſta mortalium agmina & adoratum orbi caput, Regem dolorum vnanimi colite obſequio. Diſcite verò celſæ in terris mentes, magnæ orbis animæ, auguſta capita, Maieſtatem veſtram ita ſubiectis proponere populis, vt humanæ ſitis memores infirmitatis. Ecce Rex noſter Chriſtus & virorum nouiſſimus! ecce ornatus diademate, & ſpinis coronatus! ecce ſceptro inſignis, & populi ludibrium! ecce Deus & Homo! vtinam ô cœca Hieroſolyma, mixta hæc Maieſtati opprobria, iunctam gloriæ ignominiam, Regem ſeruo vnitum noſceres; nè vtiquam eum latronibus accenſeres, vrbe eijceres, & infami affigeres patibulo. Verum egredere iam, egredere vrbe ſceleribus oppletâ, plenitudo ſanctitatis; eripe te ex hoſtium conſortio; & tuorum ſubi pectora amicorum. Suppone trabali ponderi fractos doloribus humeros infracte Atlas; conſcende extremum vitæ noſtræ, mortis tuæ theatrum. Laberis iterum atq; iterum ſub

grauiſ-

grauiſſima Crucis mole inuicte amor. Sed ſtetiſſes reor ſub trabali pondere erectus, niſi te ſuperimpoſita Cruci peccata noſtra in ruinam depreſſiſſent. Adeò vel DEVM ipſum moles peccati in terram deprimit, quem immenſa cœli terræq; pondera non fatigant. Eluctatur tamen ad celſiſſimi montis an altiſſimæ mentis faſtigia, humillimus aſpectu, moribus deſpectiſſimus IESVS. Eluctatur, inquam & beatam vitæ coronidem impoſiturus, maledicto affigitur ligno. O duram, inconcinnam, quadrimembrem illam manuum ac pedum periodum, quam ferreus ille & obtuſus exarauit clauorum calamus, in ſalutis noſtræ concluſionem. O dextram fulmine non calamo ornatam! ô miram diuinæ ſuſpenſionis figuram! Quid agis ſceleſta, impia, barbara, infanda militum phalanx? itanè agere non ante ceſſas, quàm pati deſinat DEVS? itane eum ad infame patibulum ſuſtuliſti, qui ad regni Cæleſtis ſolia nos eſt euecturus? itanè manus illas perforas, quæ cœli fores reſerant: cruci affigis, quæ nos ſtygi mancipatos in libertatem aſſerunt: ſanguine euacuas, quæ maria implent, è cælo rores & nubibus pluuiam educunt? itanè pedes clauis configis, qui ſalutis publicæ causâ tot regna, tot diuerſiſſimas populis & moribus vrbes peragrarunt: qui tot lectiſſimis virtutum veſtigijs iter ad aſtra ſignarunt? itanè demum & in mortuo crudelitatis tuæ argumenta deſcripſiſti non modò ſanguineo, vt furorem tuum imprimeres, ſed & aqueo, vt iniquitatem tuam adumbrares, charactere. Verum quid ego Iudæorum accuſem furorem, quid militum Romanorum damnem iniquitatem. Ego ego

Vide Continuationem folio duo retró

Deserunt tandem vires lictores, non deserit crudelitas, nec desinit antè ferina illa Judæorum rabies, quàm ipse cœlorum Princeps in terris esse desinat. Laborat indefessa crudelitas, quomodo per aliquam honoris speciem, grauiùs virum dolorum sauciet; & certè inuenit, quando per summum dedecus, purpurato in suo cruore Principi, inijcitur paludamentum, arundine dextera, caput sentibus asperatur. Spoliatur suo honore vertex, terebrantur ad oculos vsque tempora, confunditur cæsaries: natant sanguine bina lumina, obducitur cruore facies, in homine toto, totus sepelitur homo. Quid quæso est barbaries, si hæc non est? quid est furor quid rabies, si hanc rabiem si hunc furorem non esse dicitis? Sed finitam fortè hîc lanienam putatis? non equidem ego, qui vltimum adhuc actum, cæteris longè immanissimum vobis Auditores exponam. Nam longiùs progredi, ipsa me terret Iudæorum rabies, ad quorum plusquam barbaram immanitatem, Sol expalluit, terra contremuit, dissilierunt rupes, confusa sunt elementa, vniuersa cohorruit natura, & Authori suo commori cupiens, luctuosissimas instituit exequias. Audite porro, vt inconditæ tumultuantis Vrbis voces, infami ligno suffigendã vrgeant innocentiam, vt vitæ Authori per summam crudelitatem, vitam eripiant. Adeste tàm acerbæ amoris nostri tragediæ; adeste quà lacrymarũ, quà amoris officio, & suprema morienti Deo, obsequia impendite. Iam enim IESVS latroni posthabitus, ferali trabe pressus, è nefanda Vrbe, Caluariæ cliuum petit, atque ad supremam scandit lanienam. Sequimini non degeneres ab

Optimi

Optimi Parentis veſtigijs filij, ſequimini ſi vita ſaluſque vobis curæ & cordi eſt; ſequimini non rediturum ampliús mortalem ad filios Patrem, & crucem peccatis generis noſtri oneratam, auxiliaribus ſubleuate humeris. Sequimini & in extenſa Humanitatis membrana, Diuinæ charitatis elaboratam intueamini imaginem. Actum eſt; iam cruci affigitur IESVS, vitæ ſator, in mortis lignum agitur: in quo & parricidarum dimenſurus nequitiam, & amicos ſtrictis brachiorum clauſurus amplexibus, diuiniſſimas extendit manus. Contraherem hìc orationis meæ ſpatia, niſi me amara ſitibundo fonti propinata pocula detinerent. Potatur igitur felle; qui torrente voluptatis, ſuos potat electos: potatur aceto, qui delitiarum omnium mare eſt inexhauſtum. O humanæ voluptatis illecebras! ô gaudiorũ noſtrorum mella amariſſimo felle condita! Sic ſic te nobiliſſimum terræ hoſpitem, voluptates noſtræ tractant? ſic te orbis noſtri conuiuam mortales excipiunt delitiæ? Hoc eſt menſæ noſtræ nectar, hæc eſt tua dulciſſime IESV, non tàm felle quàm præuaricatorum animis vitiata potio! Sentis quàm candido feramur erga te affectu, qui in adeo corrupto poculo, corruptam animorum deguſtaſti ſinceritatem. Quàm diſpar à tuo calice, humanæ amaror nequitiæ! quàm diſſimilis illi, quem in omni dulcore temperatum, ſitientibus propinaſti deſiderijs! Admittis nihilominus afflicto palato tàm triſte merum nequitiæ; partim vt probrum vitiatæ per Adamum immortalitatis aboleatur, partim vt vniuerſæ amaritudines, in tui oris dulcedine, eliquatæ exſugantur. Poſt admotum di-

uinissimo ori poculum, heu quale poculum, omnis amaritudinis plenum! dum nullum iam nouis vulneribus in se recipiendis locum superesse aduerteret, ad videndam laceri corporis arcam, ad peragendas hominibus gratias, inclinato capite, spiritus oris nostri expirauit, & diffusis toto orbe tenebris vultum suum intuentium oculis subduxit. Flete iam & expauescite cœli sidera, Author lucis vestræ, amara morte occubuit. Rumpite silentium muta rupium saxorumq; ora, æterni Patris eloquentia conticuit. Surgite mortui & mortuam spectate vitam. Viuite sepulchrorum incolæ, quia IESVM monumento recepistis. Audiunt mortui, & ad spectaculum vitæ morientis apertis prodeunt sepulchris. Audiamus & nos Auditores, & exspirante Patre, in vitam Filij exspiremus.

PANEGYRIS
DE SANCTO IGNATIO LOIOLA
Patriarcha Societatis IESV,

Ignatij Nomen, compendiosa eius Sanctitatis Panegyris.

SEreniorem orbis vniuersi facem, an potiùs diuinos frigescenti mundo ignes, è cœlo natos, Diuum IGNATIVM hodierna luce appellem, ambiguum mihi obscurumq; est, vel ad tantæ lucis splendorem. Quod nimirum astrorum Principem cœlestesque ignes contuentibus usu venire solet, vt vacillantes oculi ad scintillantia obscurentur sidera; Id mihi flagrantem diuinioribus radijs

dijs ſolem, ſummum noſtræ Religioſæ Reipublicæ Patriarcham inſpicienti ſentio euenire: dum beatiſſimam virtutum illius lucem, altiſſimamque perfectionis diem, non tantùm ſtabili obtutu excipere non poſſum, verùm etiam in ipſa meridiana luce noctem patior. Tantus eſt Illuſtriſſimi huius Solis fulgor, vt omnem ingenij perſtringat aciem: tanta luminis Maieſtas, vt omnem verborum excellat apparatum: tanta ardoris per orbem vtrumq; diffuſi vehementia, vt flexanimæ etiam mentium facundiæ vim ſuo colliquet æſtu. Ipſum auguſtum Sanctiſſimi Patriarchæ nomen totum igneum & è cœleſti diuini amoris igne natum; è ſplendoribus Sanctorum, Deo renatum Diuum Ignatium teſtatur: dum ſcilicet illuſtria Sanctorum geſta, mente voluendo, è vita Sanctorum ceu quodam ſanctitatis partu ad meliorem prodijt lucem. Sua igitur luce quàm diuiniores natalium ignes impertiuntur, cum ſatis conſpicuū ſit, vt ſcilicet conſpiciatur, eloquentiæ luminibus haud indiget. Aliunde quæſita non ambit elogia, qui integerrimas virtutum panegyres, vnico comprehendit nomine. Ipſemet ſibi parem poteſt concinnare laudem, cui omne encomium è conſcientia ſuæ magnitudinis naſcitur. Et ſanè perorant digniſſimè pro Diuo, ſua nomina, hoc celſiore quidem dictione, quò compendioſiore. Terminus quidem, iſque vnicus panegyricum Ignatij nomen eſt, ſed terminus ſine termino. Neſcit is verò vocalem è verborum nitore ornatum. Factis non dictis, rebus non verbis, ſolidam illuſtrium geſtorum elaborat panegyrim. Primam exordij ſtructuram, quàm laborioſis iecit fun-

damentis, quàm difficili condidit opera! non quidem in ſcholaſtico oratorioue, ſed militari ac Martio extremæ illius ad arcem Pampelonenſem pugnæ puluere. Non è tritis vulgatiſque Rhetorum fontibus, ſed è glorioſis ſui corporis vulneribus, velut auſpicatiſſimis melioris iam eruditionis riuulis, & cœleſtis ſapientiæ documentis, vitæ Sanctioris eruit exordia. Neque ille tum longo verborum circuitu, & inani vocum profuſione, languidam frigidamque vſurpauit exordiendi ſpeciem; ſed inter martiales fulminum tormentorumque ignes accenſus, flammeam prorſus & igneam exorſus eſt, ſuæ Sanctitatis panegyrim. Iaculabatur tum ille miſſilium globorum concitatas grandines, ad mentis interiora; non illas quidem, quæ aures tantùm inani circumſonãt ſtrepitu, ſed quæ refractariæ quaterent voluntatis repagula, arcemque animi, Deo cogerent ad deditionem. Ignati, Ignati, [ita in ſe cogitatione detonabat] quouſq; tandem inter ardentes Martis ignes, cœleſti algebis flammâ? quouſque inter victrices laureas & proſtratos hoſtes, victus ipſe proſtratuſque, ſupplex iacebis mundo? Vindicanda aliquando aurea libertas animi, ſtringendum ferrum non in alios, ſed in teipſum. Vincendus ipſe victor, ipſæq; vincendæ victoriæ; vt dum ipſam viceris victoriam, in victore te victum, inq; victo te victorem ſuperes. His ille ſua animabat exordia; quæ num ex abrupto inchoârit, tàm repentina eius & feruida citra omnium expectationem in alium tranſmutatio ſat manifeſtè probat. Qui modò arctiſſima neceſſitudine in ſeculi fœdera & caſtra iurauerat, iam eadem inopino re-
texit

texit consilio: qui proiectos à Marte titulos vitæ mortisque stipendio merebatur, iam ipsa censet vilitate viliores; qui momentaneis mortalis gloriæ trophæis, sua insculpebat nomina, iam mendicabuli lacernâ sui memoriam contegit. An non inopina hæc & ex abrupto Ignatij exordia? vel si cuipiam forsan, qui perspicaciùs Rhetorum sit rimatus arcana, à suiipsius extenuatione petita accersitaque videntur, non difficile in id meam pertrahet sententiam. Qui enim à Sanctioris vitæ exordijs, continuò sese omnibus non modò opibus aut honoribus sed ipso animo exuit, an non à sui extenuatione, pulcherrimam nominis sui exorsus est panegyrim? qui etiam tenuissimas rerum suarum facultates, licentiæ præcidit suæ; qui suspensis ad montis serrati Virginem, victribus armis, militariaDucis insignia, vili commutauit lacerna, qui deniq; impauido pectore, pedis tolerantiam medicorum ferro subiecit; an non à sui extenuatione inchoauit? Sed quorsum tàm diuturnas in eius exordijs necto moras? qui muralis machinæ bellico fulmine, ex arce Pampelonensi, præcipiti casu in lectum deturbatus; iam pridem ibi quasi pro rostris, coram vniuerso totius orbis Auditorio, suam melioris vitæ exorsus est propositionem. quam implicitamne inuoluerit, an apertam præfixerit, libens ingeniosæ Oratorum disceptationi cedo. Hoc in confesso palàm est, in illustrissimo illo, & quibusuis ignibus sereniore nomine, nil nisi clarissimos laudum titulos, qui Sanctitatem Patriarchæ immortali posteritati proponunt celebrandam, elucescere. Quid enim aliud cœleste hoc ac cuiusdam inter homines Nu-

minis nomen Ignatius, indigitat? quàm perpetuum quoddam amoris diuini incendium, è superioribus illis ac cœlestibus progenitum flammis, iisdem educatum ac in omnem enutritum ætatem, iisdem deniq; in cœlestes clarescere æternitates. Et sanè qui è martiali illo ac bellico tormentorum igne in Sanctiorem regeneratus est vitam, nonne ex igne natus, nonne Ignatius est? Præliaris illa armorum flamma, Ducem suum corripiens, quod aliud excitaret incendium, quàm quod homines in flammas felici traiectione conuerteret; non eas quidem quæ noctem ac tenebras non satis vincerent, sed quæ beatissimam lucem diemque immortalem, mortali generi aperirent. Tanti proinde fuit, Ignatium inter martiales versari flammas, & plenis tormentis in eũ explodi ignes, tanti inquam fuit, ictu muralis saxi illum tangi, vt lapis ille è mœnibus præceps velut silex optimus ex animo Ignatij tantum ignem eliceret, quantus orbi vtrique inflamando abundè sufficeret. Fortunatus saxi illius ictus, qui dum in perniciem Ignatij collimaret, in summam illius delapsus est felicitatem; dum vitam mortalem ei ablaturus videretur, immortalem attulit: vt cælo potiùs excidisse, aut Numinis ipsius dexterâ in Ignatium crediderim euibratum, qui tàm felici perniciique volatu in cor Ignatij velut præfixum diuino nutui scopum pertigit. Et sanè decebat eum, saxi illius tunsione ceu diuini consilij artifice malleo, in meliorem expoliri atque adaptari formam; qui in principem & fundamentalem speciosissimi ædificij, Societatis IESV, lapidem, destinabatur. Excultus porro & inflamatus

Igna-

Ignatij animus, dum frequentioribus conceptam flammam ſuſpirijs, velut flabellis quibuſdam, magis magiſq; ſufflat; affulget è cæleſtium ignium natali ſolo, Diuina Parens, illum qui ignem miſſurus in terram deſcenderat, ſecum deferens. Felicem tunc Ignatij ſortem, qui cælicæ flammæ quæ nunquam extinguitur, acceſſione, ſuos adauxit ſacrauitque ignes; vt mirum non ſit, eum toto terrarum orbe, tantum amoris diuini ignem diffudiſſe, ad quem immenſus deſcenderat ignis. Hoc exæſtuante Diuinitatis incendio, abſumptæ illico ſunt minùs ſinceri amoris flammulæ, ardentes irarum motus ſublati, extincti pullulantes paſſionum igniculi, abſorptæ denique fumantes etiamnum peccatorum reliquiæ. Sileat iam fabulatrix vetuſtas infames rapti ſacrilegio ignis Prometheos, qui è Sacroſanctis illis Diuorum ædibus flammam ſublatam animando mortalium intulerunt corpori; liberaliore diuiniſſimi ignis munere, ſtellatum illud cœlitum domicilium ſeſe Ignatio exhibuit: vt re potius quàm nomine totus ignitus eſſet Ignatius. Quo proinde factum eſt, vt ſubuehentibus ardentis amoris affectibus, ſtellatos illos radiantium ignium choros, ipſaq; altiſſimi ſiderum Regis ſolia ſuperuolans, in ipſius Diuinitatis inacceſſam penetraret Regiam, qui necdum leuiter literis tinctus, inter elementaria etiamnum caligabat documenta; antè ſublimatus Theologus, quàm conſumatus Grammaticus. Hinc quoque euenit, vt proſtrato ac ſemiuiuo corpore, flagrantiſſimus euolaret animus: atque immenſum illud beatitatis pelagus largiſſimo ſorberet pectore, quò deinde nuſquam ad fucatas conuerteret

teret

teret palatum delicias. Desudent iam anxia sapientum capita, incircumscriptæ illi naturæ indagandæ; Ignatius sanè diuturnos temporum labores, in vnius intuitus collegit compendium: & succinctam diuinarum speculationum summam perrara comparauit felicitate. Neque verò huius luminosissimæ flammæ splendor aut nocturnis occulebatur tenebris; aut flagrantissimus eius ardor extinguebatur vndis: quin potiùs ipsa noctis adulta caligo, eius exacuebat splendorem, & gelidissimæ vndæ calorem intendebant. Dum nimirũ sub alto noctis silentio, inter sepelientes diem tenebras, humi cubans Venetijs delitesceret; in tantum ignis noster splendorem flammamque erupit, vt & sui latebras in lucem extraheret, & frigidum Veneti Principis animum in beneuolentissimam erga se accenderit charitatem. Luce nimirum clariores eæ tenebræ sunt, quibus virtus suam occulit famam. At latere ignem hunc in scholastico literarum puluere, infensæ illæ flammis noctuæ censebant. Erupit irritatus & in maiorem exurrexit lucem, dum irrequieti scholarium turbines, innocuum placidumque contumelijs exagitarent. Animantur scilicet vento flammæ, & hôc firmiùs roborantur latiùsque serpunt, quô validiùs oppugnantur. Verùm enimuerò non semper impune igne luditur, inuadit is sæpè temerarias manus, nec minùs vindictâ in hostes quam ardore inflammari solet. Vtinam id non didicisset Magistro huius ignis lumine, serò in suam illuminatus perniciem; qui cùm conuitiantis gladio linguæ, ignem contra dogma Pythagoræ præsumeret fodere; vltricibus flammis consumptus,

dignas couitiorũ luit pœnas. Meritò ſcilicet voti ſui compos factus; vt cùm vindici ſeſe victimã deuoueret Vulcano, ni Ignatius ab eo foret plectendus; conflagraret expetito incendio, cuius deſiderio iam antè flagrâſſet. Perijt igitur fatali domûs rogo, quē ipſe in ſuæ temeritatis vindictam accenderat. Extinxit vitâ ignes, quos conuicio linguæ excitauerat. Sed ſpectate iam colluctantes cũ vndis flammas, videte flammeſcentem in aquis Ignatium, & prodigioſâ iuuenis illius in cæno naufragantis charitate flagrantem: vt caſtiſſimis quibus vrebatur ſalutis alienæ amoribus, impuros illos è veſano pectore elideret æſtus, & ſacris quas caſtimoniâ ſuâ tingebat & luſtrabat vndis, contractam Venereæ mentis labem elueret. Iubeat iam ſuperſtitioſa Deorum cultrix vetuſtas, ſua in arenã deſcendere Numina: Vehatur graſſatrix per regna flamma, & cæterorum domitrix elementorum, inter publicos celebretur prouinciarum plauſus; alij contrà, cauam Nili ſtatuã, rimarum plenam, hac atq; illac diffluentem, vaſtatori vrbium igni præferant: at perſonatorum Numinum, ludicra ea fuerunt certaminum ſpectacula. Certiore fide, altioreq; gloria, flammeſcens Dei mortaliumq; ſtudio Ignatius, nõ modo flamãs è flam̃is oriri, ſed ex ipſis etiam aquis ignes accendi demonſtrat. Quemadmodum formoſiſſimi ſtellarum ignes, è primigenijs aquis emerſerunt, orbi colluſtrando; ita æternitatis feliciſſimæ ſanctiſſimum lumen Ignatius, ſuos ignes vndis inflammauit. Sed illarum obſcurus ad ſolem fulgor ac tanquam lucifugus, tenebris indiget vt luceat, Ignatiani autem ignis ſplendor, in ipſa Diuini ſolis luce aſpectabilis, meridianam illam illuſtrat æternitatem. Quàm alta nox mortalium animis incumberet, niſi ignis

huius beneficio,diuina terris dies illuxisset! Tibi ea gloria reseruabatur fax diuinissima Ignati, vt efficaci tuo incendio,orbis terrarum vterque, posito vitiorum senio, ad primitiuæ virtutis elegantiam iuuenesceret. Pullato sacrarũ ædium vultui pristinos redonâsti nitores; frigescenti pietati ac inter Septemtrionalis Hæresis algentissima tempora pene extinctæ, cælestes inspirasti æstus, & tenellæ ætatis igniculos, apertis vbiq; pietatis & literarum Athenæis, ad publicam regnis lucem impertiendam è cineribus inscitiæ quæ terram propè omnem operuerat,excitasti. Apage funestã illam gentis togatæ facem, quæ caput orbis incenderat,vt funestis cineribus senilem orbis Dominæ detergeret vultum. Iaceat perpetuo dedecore tumulatus & gloriæ obliuione sepultus, qui incendio Principis Vrbis, perennes infamiæ sibi inussit notas. Ignatius Orbis, reique Orthodoxæ restaurator, prodiga sui luce,non modò terras quas atra errorum caligo obduxerat,serenauit,verùmetiã frigidæ mortalitatis animos ad cælestiũ desideria inflammauit. Diuinus olim ignis, artifice amoris ingenio, in flammescentes figuratus linguas, flexanimũ ad obdurata mortaliũ pectora, egit Oratorem & Legatũ. Ignatius non degeneri diuinissimi ignis partu, in lucem publicam orbi datus, totus lingua fuit; & Poëtarum vota supergressus, ampliùs centenis, pendentem ab ipsius ore orbem in Dei flexit obsequia. Felicior sanè Orator, illo Gallico eloquentiæ Principe; quòd non aurearum nexu catenarum, sed diuiniore facundiæ auro, quod cælestis excoxit ignis, & à terrenarum scoria rerum expurgauit, mortalium pectora Deo deuinxerit. Miscuit & permiscuit Græciam, tonante fulminanteq; inter ardentes affectuum ignes ora-

tione, Pericles. At Ignatius diſtractum laceratumq; hæreſum bellis Orbem, ſuaui æquè ac vehementi dictione, cui robur omne à moderante animorum nutus Numine ineſt, compoſuit, & Boreales Vaticanæ poteſtatis hoſtes, nec non ſubditum Orienti Occidentiq; populum, ſempiterno ſubiecit Soli. Vidit tum & obſtupuit orbis inuictos vbique, vbiq; victores lectiſſimorum Sanctiſsimi Patriarchæ decem virorum labores, Magnis terrarum Apoſtolis ſuppares; quos igneo ſuo animauerat & genuerat zelo Ignatius. Quæ cùm ita ſint, quis glorioſiſſimū Ignatij nomen, abſolutam illius Sanctitatis panegyrim neget? quod omnem laudum ſuppellectilem eſt complexum. Neq; ab eloquentiſſimo hoc encomiaſta multiplices figurarū ornatus quis deſideret? qui omnibus omnia factus, ſexcentas pro mortalium æuiterna ſalute induit figuras. Inflammandi erant algentes hominum animi? in ignem accenſus eſt. Pungendi? in linguā formatus eſt. Illuſtrandi? in lucem fuſus eſt. Compeſcendi? in flammea ſe formauit fulmina. Deliniendi? in gratiſſimæ lucis ſolatia ſe mutauit. An translationum ornamenta quis expetat? tam facile ac expeditum hoc ei erat ſtudium, vt nihil è ſpectabili orbis huius ſuppellectile, oculis vſurparet, ex quo ſublimiſſimam non faceret ad ſidera vſq; translationem. Hinc illas ardentes affectuum exclamationes vibrabat: O Deus ſi te homines noſſent! Quàm ſordet mihi terra, dum cælum aſpicio! Quid verò frequentiſſimos communicationum vſus referā? teſtis eſt ipſe ampliſſimus eius animus, cui nihil charius accidere poterat, quàm vt prodigo obſequio, omnibus ſe communicaret. Nihil hîc de eius ſuſtentatione dicam qui ſuſpenſam humeris ſuis, vacillantem orbis machinam, Athlante fortior ſuſtentauit. Nihil hîc de eius ſubiectione; qui etſi curarum illecebris & negotiorum anfractu expeditus, totus hærens origini ſuæ, inter ambitioſos illos ſiderū verſaretur choros; iacebat nihilominus celſiſſimus ille animus, infima quorumq; minor conditione. Perorauit itaq; facundiſſimum atq; Tertullianum Ignatij nomen; à quo eloquentiſſimam eius ſanctitatis contextam panegyrim, etſi mea non ſatis adumbrauerim dictione, illud tamen orationis tenuitatem facile tuebitur, quod perorante diſertiſſimo Nomine, meritò meam oportuerit dicendi ſuccumbere facultatem.

DE SOCIETATE JESV

A

Sancto IGNATIO Loiola, fundata, & Paulo Tertio Summo Pontifice confirmata.

Pòëmation.

VNde nouus cunctis Romana clangor ab Vrbe
Montibus insonuit? cuius solennia tanto
Romulidûm celebrauit Atlas cum nomine festa?
Ecce procul plausus circumsonuêre Molucis,
Brasiliæq; plagæ lauro sua tempora cingunt,
Læta per Indiacas volitant modulamina terras.
Nosco vices, harum rerum mihi cognita causa est.
Te Sacra Relligio, magnum cui nomen IESV,
Numen & optatos donat cum laude triumphos,
Te celebrat festus populi super æthera plausus;
Exere, læta genas pullatos exue vultus,
Testenturq; pios resonantia gaudia plausus:
Te confirmatam dum Tertius ordine Paulus,
Romulidûm Pastor famulum dispensat in orbem,
Ingeminant latos cælumq; solumq; triumphos.
Magne Parens rerum vastas qui flectis habenas
Orbis, & æterno collibras omnia nutu,
Da precor optatas dicenda in carmina vires.
Nam non auratam pellem de Phasidis ora
Poscimus audaci Minyarum pellere puppi,
Non Laertiaden, Pelidæ aut gesta furentis;
Ast confirmatum IESV de nomine cœtum
Pyeriis mens prona flagrat celebrare Camœnis.
Est Arx sublimi terris submota recessu,
Tænariis inimica dolis, vbi struxit in ipso
Vertice Regalem Diuina Pronæa sedem
Fatidicos animata sinus, terræq; Poloq;
Iura ferens, legesq; ciens, discrimina ab orbe
Prospicit, & longè venientia fata resoluit;
Huc Diui proceres reserato cardine cœli,
Augustosq; sibi notos subiêre Penates.

Vnus

Vnus erat Michaël niueo succinctus amictu,
Illi sidereâ sublimis fronte tiaras
Purpureis vittis, species illustrior astris;
Gestans de cæso spoliorum insigne Dracone.
Pone Stanislaus Lechici laus maxima Sceptri,
Crudeli cecidit qui ferro victima ad Aras.
Miratur Proceres Diuina Proneia visos,
Inuitat solij strato, veniamq́; loquendi
Tranquillis iubet esse notis, inferre tapetas
Mandat, & auratis laqueária figere tectis.
Ast Michaël Superûm Princeps ter poplite flexo
Tempora & humanam miseratus pectore sortem,
Innixum solio Diuum sic Numen adorat.
O Regina potens, quæ res terraq́; Poliq́;
Æternis Regis imperijs; scis tertius alto
Quod fultus solio Paulus, moderetur habenas
Sedis Apostolicæ, tetrumq́; vomentia monstra,
Et coniuratæ furias pede proterat hydræ,
Hydra tamen stygijs artus circumdata succis
Feruet, & ex Erebo veniens grassatur in orbe
Horrida. Viua fides vacuas exhalat in auras:
Et stygijs cessere lupis, cessere dolosis
Insidijs gentes, miscenturq́; omnia luctu:
Ergo Diua Parens, quod si pietate moueri
Te iuuat, & faciles adhibere precantibus aures,
Hoc infringe scelus fœdamq́; auertito pestem
Hæresis, vnanimi regnet concordia mundo.
Hæc Michaël. Ast Sarmatica de gente sereno
Ore Stanislaus, patrij quo concidit ensis
Immemor, illa tamen manet alta mente reposta
Patria Lechiadûm: supplex his vocibus vsus
Vt per Hyperboreos sacratum dogma Penates
Floreat alma Parens, nec desit cura salutis,
Hoc serua imperium, Lechicamq́; hanc aspice gentem.
Has Diuina Parens vt voces auribus hausit,
Vultu quo cælos & tristia corda serenat,
Annuit, & Dominis Proceres amplectitur vlnis,
Talia voce mouens. Eadem me cura remordet

O Diui Proceres: sed nunc prænobile sidus
Me recreat Phœbi radijs à vultibus obstans.
En sociata cohors magno de nomine IESV
Sese offert nobis, cui Dux Loiola supremus,
Concitus æthereâ tacito sub pectore flammâ
Enthea iura dabit, quæ tertius ordine Paulus
Sedis apex Latiæ commisso sanciat ore,
Et confirmabit Loiolica Castra Ducemq;.
Obuiat interea, dum Diua Proneia cessat,
Ipse Stanislaus vultus demissus honoros;
Pande Gubernatrix diuina, Ignatius iste
Num de Sarmaticâ spectabit gente nepotes?
Illi subridens Diuina Proneia fatur
Dulce iubar Lechiæ, fiet Stanslae quod optas,
Sed si tantus amor rerum cognoscere causas,
Et confirmatæ sacro de nomine IESV,
Cernere mens altos, vult Relligionis honores,
Huc ades, & mecum fortunam nosce tuorum
Lechia Loiolæ quos exertura nepotes.
Namq; ter Augusto Patrum de nomine IESV,
Subdita confirmabit vbi discrimina Paulus
Tertius, innumeros Lechico de sanguine natos
Frænabit Loiola Pater, quos nosce coruscis
Pectora depictos formis. Stanslaus auaro
Lumine metitur vultus, depictaq; docto
Pollice vestigat monimenta futura virorum,
Lumina dispensat formis, tandemq; notauit
Gemmam Sarmatiæ Kostkam, mox pendet amato
Vultu, sic sacra fauet indulgentia formæ,
Post etiam viuam subtraxit in Icone gemmam
Amplexuq; ligat dextrisq; maritat auaris,
Voce mouens. Iuuenis fortunatissime Kostka
Nominis in IESV *mihi relligione tueri*
Te datur, hos oculos sacramq; gerentia pacem
Ora, animi depicta notis moresq; sereno
Fronte graues! flore Lechicæ pars maxima laudis!
Hinc picturato cælatus Skarga metallo
Aureus ore flagrat, vigili cui malleus ictu

Adſtat & Hæreticos non ſegnis ſauciat æſtus:
Wuieciuſq; micat grandi venerabilis æuo,
Facundam ſuccinctus mentem, cui æmulus adſtat
Smigletius doctis certans in imagine libris.
Groſſa Valentinus, Laſzczewſki proximus illi,
Bockzaq; cygneis totus ſpectabilis annis.
Pone erat Olzewſki præclarus acumine mentis,
Lancitiuſq; Pater miræ virtutis imago.
Fundebant omnes ſacratum pectore zelum.
Exin magnanimûm ſeries ventura nepotum
Pene locuturas depicto corpore Ceras
Exerit & longum rapit in ſua pectora viſum.
Tantus honos operi! ſed poſt mirabile viſu!
Monſtrat Præſuleis Michaël obtutibus ora,
Ora cruentatis largè ſtillantia nimbis.
Picta Staniſlaus Patrum de nomine IESV
Pectora mille ſtupet, genti mactanda profanæ,
Martyrij depicta iubar, victriceq; lauro
Prodiga gratatur redimitos tempora crines.
Pingitur hos inter docto celatus in auro
Martinus Laterna Pater, quem tetra Suecorum
Hæreſis appenſas tabulis iubet ire ſub vndas;
Huic Męczynſki adſtat tranſmiſſus pectora telis
Pectora Martyrij ornatus victrice corona.
Poſtquam pulſa ſitis viſu, pictaſq; nepotum
Loiolæ ſtupuêre genas, tantiſq; futuris
Accenſus Michaël auſis, ſic exerit ore.
O Regina potens Diuina Proneia, nôſti
Tenarijs mundus quàm ſit conformis habenis,
Effice, namq; vales, vt confirmata Senatu
Sedis Apoſtolicæ, Sacro de nomine IESV
Relligio, & confirmato diſcrimine legum,
Ocius ignotos cælos & findere rectum
Monſtret iter genti, mendax cui nomen in antris
Mugit, & hæreticam Domino pede proterat hydram.
Sic ego, ſic orat totis Eccleſia votis.
Hæc Michaël, Præſul Staniſlauſq; petebant.
Obuiat his Procerum ſacrata Proneia dictis,

Quod petitò dabitur Divi; iam cedat Erinnis,
Conspirent animi, cum cælo sentiat orbis.
Hæc ait, augustoq́ trahens de crine maniplum
Solis inexhaustâ redimit qui tempora luce,
Fulgurat ex astris, it missile lumen in Vrbem,
Implebant vbi purpurei conclauia Patres,
Qui confirmandos Sacro discrimine librent
Nomine de IESV *socios. Huc aduolat altùm*
Flamma micans, & consultantibus intima sensim
Corda subit, iussos versans sub pectore motus.
Nec mora, concordes (sit confirmatio Patrum
IESV *) conclamant: hinc Tertius ordine Paulus*
Sedis honor latiæ, solio sic fatur ab alto:
Approbo, confirmo, Loiolica Castra Ducemq́,
Castra per exhaustos æternatura Triones.
Clauiger has postquam Petrus bibit ore loquelas,
Festiuum prælibat epos motisq́ triumphat
Clauibus, & plausus vicina per agmina fundit.
Proruit interea Pietas redimitaq́ lauro
Tempora, voce canit; iam cedite, cedite noctis
Degeneres animæ, procul hæresis agmine toruo
In putrem Phlegetonta ruat, cunctosq́ Triones
Irradia Romana fides, victrixq́ triumphos
Exere; iam confirmati de nomine IESV
Patres ire tuos cogent super æthera fasces.
Audijt hæc Phlegeton totisq́ exæstuit vndis,
Iam trepidant Erebo furiæ, trux hæresis altùm
Ingemit & Stygijs collum succincta catenis,
Triste supercilium tollit, viridesq́ totondit
Fronte gemente comas, crinitaq́ fontibus hydris
Impietas, IESV *confirmata agmina Patrum*
Incusat, quatiens infesto lumine pinnas.
Insultat victis Pietas, & iudice plectro
Explorat Cytharas, cogitq́ frequentiùs ictam
Respondere chelym resonantis murmure chordæ:
Saltat & è mundo faciem niger exuit àèr.



PANEGYRIS PARENTALIS

Inter Illuſtriſsimi & Reuerendiſsimi Domini Domini Georgij Białozor, Smolenſcenſis primùm, dein Vilnenſis Antiſtitis, nec non Almæ Vniuerſitatis Vilnenſis Cancellarij, ſupremos honores; Illuſtriſsimæ Familiæ Białozorianæ parentanti, oblata. Vilnæ, 1671. 10. Martij.

PErtinere ad publicæ gratitudinis noſtræ debitum, debitæque obſeruantiæ, erga Illuſtriſſimum Antiſtitem & Cancellarium, Officium videbatur; vt cuius profusâ animi beneuolentiâ atque illuſtribus beneficiis Vilnenſis literarum Vniuerſitas, ſupra temporũ bellorumq; aſſurexit calamitates, priſtinaq; beatæ pacis otia auſpicatò adijt, eiuſdem ſacra Nomina meritaq; inter Diuûm ſedes (vt piè credimus) iam relata, parentalibus gratijs, ad perpetui honoris monumentum, coleremus ac veneraremur. Etſi enim beata Optimi Præſulis fortuna, tenuem remunerandi vicem ab impare calamo non deſideret, neque noſtra ſuggerat reſtituendi facultatem: nè tamen debitam pietatem ac obſeruantiam noſtram exoſæ ingrati ſilentij labe obſtringamus: malumus imbecilli gratitudinis conatu cum beneuolentiſſimi Antiſtitis munificentia, & ampliſſimis beneficiorum copijs, impares confligere, & ſuccumbere victi, quàm vincere & mori ingrati; ingrataque nobiſcum ſepelire obliuio-

ne, redditam Mecœnatis beneficentiâ, bonis literis vitam. Verùm enimuero quis Te Illustrissime & Reuerendissime Præsul (præsentem enim mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, reuelli tamen mentibus non potes) quis inquam Te ingentibus factis gloriæque celebritate contra temporum iniurias periculaque securè subnixum, dicendo laboret, è sæculorum obliuione vindicare? quem quantacunque facundiæ Maiestate operumque apparatu orbi produxeris, minore tamen ornabis pompa, quàm videre olim mirarique virtutum comitatu prodeuntem assueueramus. Nemo certè tantum effinxerit dicendo, quantus erat zelo animique magnitudine Præsul. Nemo tàm potens fandi, cuius copia tàm larga tamque felix, quæ cum virtutes attrectauerit, non aut circumuenta numero, desperato exitu stupeat, aut obterat magnitudinem, aut splendore perstricta, tantum caliginis hauriat, quantum nitoris ex operum luce legere tentârat. Scio omnes rerum in præceps euntium insidias euasurum, quem ex infidelis memoriæ sepulchro, superstes post fata virtus eripit, & insepultum Patriæ ostendit, viua, perennis pietatis zelique effigies. Ergo vt immensum gloriæ iter ad immortalem posterorum famam vsque exporrectum, nunquam lapsuro vestigio teras: à leuis calami viribus, robur non habes necesse adsciscere; quod contra liuorem & occumbentium temporum fata erectis tot illustris Tuæ in Superos ac potissimùm Patientis Numinis, pietatis monumentis, restauratis literarum domicilijs, renouatoq; liberali ope typographico prælo [vt non possimus non Tuam æter-
nitati

nitati exarare imprimereq; munificentiam] fixisti atque firmasti. Patieris nihilominùs, neque fastidies, æternis licet accumulatus honoribus, factorũ Tuorum gloriam, tenuis facundiæ dictione non tàm exornari ad splendorem quàm referri ad posterorum memoriam. Etsi enim Tibi, Tua audire decora non est necesse, nobis tamen posterisque commemorare, est vtilissimum. At vnde ordiar, dicendique initium faciam, innumerâ virtutum meritorumque copiâ obrutus? Video enim vetustissima illa Diuorum Præsulum, magnorumque Ecclesiæ Heroum sæcula, in Tuo refloruisse pectore; & tot annorum spatijs distractas dispersasque ingentium animarum virtutes, in Tuo amplissimi animi sinu collectas. quasi opulenti remuneratores calamitatum Superi, luctuosam illam bellorum tempestatem, sacrarum ædium euersionem, depopulationem consecratorum Deo Larium, & vniuersi Ducatus collapsam prostratamque sortem, in Tuo contra hæreses inuicto contraque scelera armato zelo, iterum erigere & ad priorem extollere fortunam contenderint: vt quemadmodum truculenta Moschi barbaries, Sacris, Diuorumque Penatibus, amplissimas magni Ducatus terras exuit, ita auspicatissima Tua ad sacra gubernacula accessione redirent omnia, & pristina florentis æui auitæque pietatis imago in tanti Præsulis recuderetur virtutibus. Et certè vidit sincero omnium ordinum solatio Vrbs Lithuana, audiuitq; pro sacris rostris dicentem, flagrantissimũ oratione, studioque salutis publicæ Ecclesiasten; qui altum Sacræ dictionis silentium, belli necessitate imperatum, suâ soluit

Cathedrisque exegit facundiâ. Vidit testis Tuarum virtutum Vilna, iteratisque est experta vicibus constans pectoris robur, quod contumaci opposuisti hæresi; vidit, & hodie etiamnum communi voce ad sidera vsque extollit Tuam in proiectæ sortis homines, semper apertam refertamque liberalitate dexteram: vidit profusa erga religiosas familias Munificentiæ studia: suspexit magnorum sectatorem animum, & complanandis altercantium Partium simultatibus parem cum prudentia authoritatem; suspexit regnatricem animorum eloquentiam, consilio, mentisque nequaquam in diuersa fluctuantis constantiâ roboratam; cuius imperio tantum in liberas mentes & beatissimum sentire quod velis, publicos inter consessus iusto licentiore quandoque iactatum libertate, valebas: vt & minùs sincerè publico bono addictos, sacrisque Maiestatibus refragantes, ad recti sensum ac iuratæ venerationis memoriam componeres, & suam nihilominus aureæ libertati non detereres gloriam. Desiderare poterat afflicta Patria vt post interdicta diuturnis ferijs, hostilique ferro prohibita Ecclesiastarum munia, tandem Chrisostomum quempiam, qui affectu pariter ac oratione ardentibus, congelata inter extinctam à barbarie pietatem pectora accenderet; Tu facundiâ zeloque Chrisostomus, gradum ad exedras ferro antehac barbaro prohibitum, Tua non modò aperuisti dicendi libertate, sed etiam profanatum sacrilega barbarie, Præsul consecrasti. Neue reflorescentibus iterum Lithuanæ Ecclesiæ primordijs, vetera illa pietatis & magni Nominis Numina sacris tiaris illustria deessent, Tu reuocasti tot

ſti tot retro ſeculis pene obliteratos obliuione Antiſtites, & primores illos orthodoxi ſplendoris, fideique Romanæ Athlantes, Tuo redanimaſti exemplo. Reddidiſti in cathedra Chriſoſtomos, exhibuiſti abſtinentiâ vitæque auſteritate, Baſilios; munificentiâ in pauperes, excitaſti Martinos & Nicolaos; intrepidas & pro Eccleſiæ immunitate morti deuotas victimas, repræſentaſti Stanislaos, contra hæreticos & peruicacem Schiſmatis indolem oppoſuiſti conſtanti zelo Auguſtinos & Anaſtaſios. Ad extremum, virtute, meritis, præclariſque pro Eccleſia & Republica geſtis, Præſulum omnium Lectiſſimam exhibuiſti imaginem, cuius lineamenta ad tantorum heroum normam artifex duxit Tua virtus; nos extemporali parentalis dictionis encomio, digniſſimum immortalitatis opus, quaſi ſub vmbra exhibemus.

ELOGIVM PRIMVM

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Præſuli
è Ducum familia per continuam Heroum ſeriem
propagata, oriundo.

VEtuſta generis Nobilitate
Maximis Regni & Ducatus Heroibus par,
ILLVSTRISSIMVS ET REVERENDISSIMVS
DOMINVS D. GEORGIVS BIAŁOZOR.
Ad Magna natus ex Magnis!
Hic primus fuit ad altas cogitationes ſuſcipiendas cenſus,
Quo ab Illuſtri animo viles avertit impetus.
Nemo ad metam Præſulum Principumq; Lithuaniæ

Perueniſſe eum miretur,
Qui tàm magnifico itinere initia duxit.
Ita tamen nobilis hæreditatis ſortem ſuam credidit,
Vt nullis vnquam actionibus eam diminueret,
Ita velut extraneam habuit, vt domeſticam
Propria conciliaret virtute.
Vt vt origo maximis Heroum honoribus,
affinis ei obtigit,
Virtutis tamen neceſſitudine
eam ſibi obſtrinxit :
Vt ſcilicet faceret familiarem,
Quæ à tot retro Maiorum ſeculis,
Ceu peregrina ad ſe diuerterat.
Domiciliū Illuſtrium virorum, ſanguine Ducū fundatū,
Perenni conſtantis gloriæ baſi contra fatorū vices ſolidū,
Non ſat pulchrum hoſpitatori animo credidit,
Niſi alienam apparatûs ſupellectilem,
Proprijs quoq; exornaſſet virtutum imaginibus.
Stabant à fronte, à latere, famoſæ Maiorum effigies,
Dum longè lateq; reductā Bialozoriorum
Domum ingrederetur ;
Sed ementitos antiquitatis fumos,
Famam credidit,
Niſi ſincero rectè factorum ſplendore
Caliginoſas illuminaret ceras.
Numerabat Magnas Domûs ſuæ animas,
Principem Familiæ ſtirpem,
Vetuſtiſſimum Woliniæ Ducem, MONDVIDVM,
Legebat vetuſtate obliterata Nomina,

Facto-

Factorum gloriâ Illustrissima Nomina,
CHLEBIOS, WIAZIOS, IRZICIOS,
Superioribus seculis adoratos Principes.
Videbat potentissimos Maiores in fundamentis positos,
Non satis tamen contra leuem fortunæ auram
Tantorum Numinum vestigio se subnixum credebat,
Nisi stationem firmaret rectè factis.
Tantarum mentium virtutes hæreditario iure amplexus,
Mortuorum decora censebat,
Nisi rediuiuam totius gloriæ effigiem,
Proprio animaret meritorum vigore.
Vt verò auitam ætatem æquè ac virtutes
Non degener delinearet hæres,
Non superbis Pyramidum monumentis,
Aut marmorum coacta fide,
Sed Diuo in pectore,
Magna operum molitione,
Præsul & Princeps
Ad perpetuam orbis & sæculorum memoriam
exarauit.
Quis iam superioris æui ingentes illas mentes desideret?
Quarum magnitudinem & generosos spiritus,
Generosiore antecelluit zelo Præsul.
Ad belli decora, militarem animum extulerit
Vir Marti dicatus
CASIMIRVS BIAŁOZOR Palatinus Minscensis:
Præsul noster, Ecclesiæ fasces moderatus
Etiam victoriã à domita hæresum criminũq; acie retulit.
Communium vtilitatum studijs illustris,
STA-

STANISLAVS BIAŁOZOR Caſtellanus Mscisłauieſis
Vitam impenderit Reipub:
Antiſtes Vilnenſis ſpiritum æternitati conſecrauit,
Dum antè publicâ boni curâ,
Probatâ inter immanes bellorum
temporumque conflictus virtute,
Iter,
Triumphaturo beatas inter palmas animo
Strauiſſet.
Taceo Magna dignitatum Nomina,
Publicæ æſtimationis Heroes,
Palatinos Smolenſcenſes, Theſaurarios M. D. Lithuaniæ,
Referendarios, Vexilliferos, Capitaneos &c.
Quos neutiquam extinctos gloriæ quis crediderit,
Dum ſuperſtites in Præſulis immortali memoria,
Perennibus legit deſcriptos factis.

ELOGIVM SECVNDVM

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Præſuli boni publici ſtudio & meritis, Epiſcopalem Infulam adepto, atq; contra Schiſma Ruthenorum & Hæreſim pro fide Orthodoxa generosè zelanti.

CVm inuicto publicæ vtilitatis ſtudio
Victima eſſet, Aris fociſque communibus deuota;
Meritò Smolenſcenſes & Vilnenſes Infulas
In illum congeri decebat:
Vt, qui Ciuicas à quæſita Ciuium ſalute merebatur,
Obtineret Præſulis tiaras.

Diffi-

Difficillimis à bello temporibus
Sacros Vilnenſium faſces Præſul adijt·
Vt ceu nutanti cælo Atlas humeros ſufficeret.
Cur honoris Præſulei V I T T A M ei non deferret
Princeps Lithuaniæ Cathedra?
A cuius zeloſo ſpiritu V I T A M
Vilna Lithuaniaque erat acceptura.
Cum ſacras Aras Præſul adijſſet,
Neminem in iura amicitiæ,
Niſi vſque ad Aras admittebat.
Dicta pro Roſtris copiosè,
Gloriosè factis prætergreſſus eſt.
Fandi vim omnem anteiens vigore faciendi.
Cum ad magna dictis impelleret,
Ad maiora factis trahebat.
Vbi remedium in peruicacem ſcelerum genium
Erat quærendum,
Nemo eo cauit accuratiùs.
Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Sensère cum Schiſmate, proſcriptæ fidei capita.
Subſcribere oportet tanti Præſulis Laudibus,
etiam profligatos à fide hoſtes,
Sed non aliâ pennâ
Quàm exilij pœnâ.
Meritò eâ forent mulctandi,
Fidei Deoque rebelles.
Ampliſſimam Magni Ducatus Diœceſim
Ampliore animi zelique magnitudine,
Complexus,

Malè Cathedræ, ceu, Præſulis Cordi metuebat;
Si viperam ſineret graſſari in ſinu,
Ducatûs Metropoli.
Rarus ſcilicet viperam ſecuris manibus tractauerit,
In pectore verò ſine vitæ diſcrimine fouerit nemo.
Abeſſe igitur viperinum Miniſtrorum genus voluit,
Cane peius & angue.

ELOGIVM TERTIVM
Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Antiſtiti, confæderationem militum Lituanorum, conſilio & eloquentia diſſoluenti, & ſtipendiario vexillo, neceſſitatibus Patriæ, ſuccurrenti.

DVm ciuilium motuum fluctus
Patriam iactarent tranquilitatem,
Scopulum oppoſuit, conſilij animique robur;
Vt illiſi diſſilirent.
Maior Hercule Orator,
Qui concatenatos armatorum nexus
Feliciùs diſſoluit,
Quàm Gallicus ille colligauerat.
Quantum tunc Lithuaniæ dedit tulitque Tullium!
Quantum orbi demonſtrauit Demoſthenem!
Qui linguâ ferrum retudit,
Conſtanti animo aurum reſpuit,
Quod inuicta vincere poterat pectora.
Neque modo conſilio, incorruptâ in Patriam fide,

Pietate

Pietate ad aras litante,
Sed ſtipendiarij etiam vexilli manu,
In coelis pariter ac terris
Pro publica militabat ſalute.
Nè ferrum per Patriæ viſcera graſſaretur,
Aurum ſparſit,
Vt militares contraheret copias,
Eccleſiæ & Reipublicæ ſuccenturiatas:
Ferro, armorum; & auro, animorum expugnator!
O nobilem Præſulum gemmam!
O Illuſtre Eccleſiæ & Patriæ decus!
Benè gentilitio Tuo ſtemmati
Annulum inſeruêre Maiores,
Quando tàm nobilis gemma gentilitio annulo
Aliquando erat inſerenda.
Adamantem rectè dixero,
Superis terriſque, ſummis infimiſque adamatum:
Adamantem nullo fatorum bellorumq; ictu concuſſum,
Qui ipſomet formidinis occurſu
Nutriebat fortitudinem;
Cui conſilij recteque factorum pabulum,
ipſa erant pericula.
Nutum Maieſtatum tractabat obſequijs,
Poſtulata Procerum moderabatur dexteritate;
Studia populi conſilio & ratione flectebat,
Dum arbitrum ſalutis communis ageret.

ELOGIVM QVARTVM

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Antiſtiti, cauſam Dei & cælitum, negotijs politicis anteferenti, & magnanimo zelo, impedienti, ne in Curia Vilnenſi, Magiſtratus, Schiſmaticum in Conſulem Vrbis eligeret.

CAuſam Dei inter primas curas habebat,
Exoſus illorum genium,
Qui ingenio valere nolunt
Quoties induſtriam cœlis locare oportet.
Debere oportet Superis,
Vt viciſſim illi debeant;
Beneficijs obligare pariter & obligari;
Terras apud Diuos,
Et in terris tueri ornareque Diuos.
Sic ille vitæ rationes diſponebat,
Vt non tantùm Patriæ, ſed etiam Diuis cœlitibus
Atque ideo tantò magis Patriæ prodeſſet.
Multos ad ſplendida facinora,
Anguſtum non dimittit pectus.
Alios gloriæ euaneſcentis cupido
Incurios reddit immortalis.
Ille ſanctiore conſilio moderatus vtrumque
Capacem ſemper ad magna ferebat animum,
Et magna orbi æſtimata,
Inter minima nullaque rerum momenta referebat.
Et non Primas, Primuſque Magni Ducatus Princeps
Meritò audiat?
Qui primas ſemper Fidei,

Prin-

Principatum Schiſmati tribuebat nunquam.
Ne Schiſma publica dignitate
Adoleſceret in caput Vrbis,
Suffocauit, dum adhuc gliſceret in conſilio.
Ingreſſus Magiſtratus conſeſſum,
Dum Schiſmati pararentur clandeſtino conſilio,
Conſulares vrbis faſces;
Faces quas ardens Præſulis zelus accenderat,
Deliteſcenti admouit conſilio,
Vt in lucem protraheret.
Puduit in tanta Præſulis luce, conſilij conſcios,
Puduit ad ardentis zeli ignes
Ambitæ dignitatis famam
Euanuiſſe in fumum.
Ita ambitioſa Schiſmatis vota
Cum fumum emerent honoris,
Fumo ſuffocata ſunt.
Immortali ſplendore digniſſimus Præſul,
Qui proditum vetuſti faſtus aſtuſque Genium
Ad perennem damnauit obſcuritatem.
Erexiſti tum Magnanime Antiſtes,
Illuſtre Romanæ Fidei trophæum;
Sed quod Tuæ ſtabit æternum gloriæ monumentum.
Meritò maximo Magni Ducatus honore
Te ornârunt Superi,
Qui Tuæ maximè ſecurus es magnitudinis.
Maiora etiam à Te accepit incrementa dignitatis,
Quàm Tibi dederit ornamenta.
Submiſit ille ſe ampliſſimo gloriæ Tuæ ſplendori,

Vt Te ſublimem immortalemque eueheret,
Sed euectus
Ipſam extuliſti dignitatem illuſtriùs.
Vt dubium ſit,
An honor Præſulem magis ornârit
An Præſul honorem.
Collige etiamnum ſub Præſulei Pallij amplitudinem,
Quos viuus affectu complectebare.
Fulge in ſeram vſque poſterorum memoriam,
Sacro ornatus Paludamento,
Quod Tua Virtus, Merita, præclaraque facta;
Pulcherrimo opere contexuerunt.

ELOGIVM QVINTVM
Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Præſuli, Patri Patriæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Reſtauratori.

PRodidit immortalibus ſeculis
Suſceptum in humeros Anchiſen
Æneas,
Baiulus tanti decoris Filius.
Æneus Æneâque validior,
Magno præditus pectore Præſul,
Non modo Patrem,
Sed communem omnium Parentem, Patriam,
Baiula virtute,
Succolantibus magni animi auſibus,
Ex communi ardentis bello Reipub: incendio,
Ad

Ad immortalem extulit lucem.
Æneas ille
Ab æneo forſan pectoris robore
Audiuerit:
Aureum à nobiliore animi zelo
Prædicabit poſteritas
Antiſtitem,
Et fortem labentis Patriæ Athlantem.
Ille Parentis vnius Nomine & cenſu diues,
Aliud nil ex profundo ſeculorum ærario extulit:
Hic omnem Lithuani Ruthenìq; ſanguinis vetuſtatem,
Suo complexus ortu,
Renouauit obliteratam,
Adauxit meritis,
Stabiliuit imortalitate.
Ille Patrem extra patriam extulit,
Hic Patriam, nè efferretur ad peregrina ſceptra,
Seruauit.
Sufficere poterat tanto Muneri,
Bialozoriana in Patriam Pietas;
Quæ in communionem ſanguinis & Virtutis
Adſciuit
Plurimorum Principum iuncta Pietati Nomina:
Scilicet, ſi fidem damus
Incorrupto Annalium & Eccleſiaſtarum calamo,
WISNIEWIECCIOS, OSTROSCIOS, SANGVSZCIOS, ZBARASCIOS, PACIOS, SAPIEHAS, WOŁŁOWICIOS, HLEBOWICIOS, ZAWISZAS, TYSZKIEWICIOS, IVDICCIOS, &c.
Quos Bialozorianæ Domui
Sanguinis & gloriæ neceſſitudo coniunxit.

ELO-

ELOGIVM SEXTVM

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Præſuli, glorioſo Maiorum Suorum comitatu vitam mortalem ingredienti, & glorioſiore virtutum & meritorum coronâ, immortalem auſpicanti.

QVanto animorum & annorum conſenſu
Stipatus Præſul
Æternitatis gloriæque iter ingreditur!
Quanta Anteceſſorum facinora,
Pompam fecerunt ingredienti!
Adeant, abeantquè è terris alij,
Nullo ſtipati gloriæ comite;
Hunc collata pluribus ſeculis ornamenta,
Texerunt naſcentem,
Abeuntem oſtentant æternitati ſplendidè,
Adaucto propriæ virtutis comitatu.
Non eſt profectò otioſum,
Sanguinis Nobilitas,
Ad expectationem gloriæ, argumentum
Magno gradu terras ingrediuntur,
Maiore gloriæ paſſu terras deſerunt,
Qui naſcuntur ſplendidè.
Spem ſibi laborare celſitudinis,
Recentium eſt neceſſitas:
In paratam honorum fidem venire,
Vetuſtæ ſors eſt propaginis.
An verò pulchriùs ſit,
Per ſummos honorum apices ſemper incedere:

An gloriosiùs
Ex imo se erigere magno nisu in altum,
Decreuerit æquum Virtutis & Fortunæ suffragium.
Exaggerata gloria est,
Firmos gressus in alto retinere,
Et ex alto ad sublimiora assurgere.
Exaggeratâ gloriâ, maior etiamnum gloriæ laus est;
Non demouisse fastigio,
Fortunæ generisque celsitudinem,
Magnarum stirpium transfuga est,
Qui è sublimi
Descendit in æternitatem, humilis ignauiâ.
Extulit intaminati splendoris titulos,
A rectè factis splendidiores,
Ad seculorum famam,
Corpore non gloria defunctus,
Bene semper virtutis officio functus;
Præsul optimus.

ELOGIVM SEPTIMVM

Illustrisimo & Reuerendisimo Antistiti,
Hostem è Lituania exigenti, & diu optatam pacem reducenti.

CVm magna accepisset à Parentibus,
Maiora reddidit
Communi omnium Matri, Patriæ.
Prælijs lassata Lithuania,
Sub hoc Præsule primùm respirauit,

Ferro hoſtili proſtrata,
Aſſurrexit ad pacem,
Sacro Antiſtitis nixa Fulcro.
Decumanis bellorum iactata tempeſtatibus,
Anchoram melioris ſpei
In Pontificio apprehendit Pedo.
Ceſſerunt Arma Togæ,
Vt Præſuleam induit Togam inauguratus Antiſtes.
Vbi pedem Lithuaniæ intulit
Gentilitio armatus Vro,
Hoſtem Ducatu exegit.
An tot retro ſæculorum, robuſta Bialozorianæ
Domus pectora
Expauit hoſtis?
An aureo Stemmatis auiti Annulo,
Concordiæ teſſerâ,
Cornutis Vri viribus ſignatâ,
Pacem & animorum concordiam
Patriæ deſponſauit Præſul?
Compeſcuit quiſpiam ferocientis Maris impetus,
Deuoto fluctibus annulo,
Quaſi etiam efferata ſæuientis Ponti indoles
Componeretur flexanimo auri munere:
Maiore tamen virtute
Turbulentas Patriæ procellas ſedauit,
Pontificio, & Gentilitio ornatus Annulo,
Felix Lithuaniæ turbatæ Caduceator.
Rebus igitur Eccleſiæ & Patriæ compoſitis,
Stabilita animorum vnione,

Proh

Proh dolor!
Ipſe Animi Corporiſque Vnionem
Præmaturo ſoluit fato.
Omnibus ingentis animi diuitijs
Et paribus tantæ indoli virtutibus,
Geſtis Factiſque,
Præſule & Magni Ducatus Primate atque Principe
dignis,
In Eccleſiæ Patriæque commoda diſpenſatis,
Terris cineres reddidit,
Animum ſacrauit cœlis,
Poſteris,
Diuitem virtutum hæreditatem
Velut teſtamento tranſmiſit.
Plorate Ciues, Optimi Parentis obitum,
Lugete Eccleſiæ, Antiſtitis abitum,
Patria SERVATOREM grata recole,
Proſtratum Vrbis & Orbis Lithuani Caput,
Venerabunda adora Lithuania.
Mœſta Literarum VNIVERSITAS
CANCELLARII Funera,
Qua potes venerare pietate.
Omnes ſacrorum Prophanorumque Ordines,
Pijs Præſulis manibus,
Bene precemini atque litate.

ELOGIVM OCTAVVM
Illustrissimo & Reuerendissimo Præsuli, Diuiti Inopum Ærario, & communi à fortuna damnatorum Asylo.

ASsurge Mecœnati Præsuli
Prostrata à Fortuna Inopia.
Vt ferrea necessitatis tela sustineres,
Aureum Præsul pectus opposuit.
Vt sinistram superares sortem,
Dextram Præsul submisit
Liberalitate armatam.
Raræ fortitudinis specimen ab eo accipe,
Qui domesticâ conflictantes inopiâ,
Et pene ad deditionem Virtutis coactos,
Fami, dubiæque de Virtute Famæ eripuit,
Geminato triumpho Bellator.
Tantam gloriæ messem
Ex sterilibus desertisque pauperum campis
Collegit.
Scilicet non fructificant quædam plantæ,
Teste Plinio,
Nisi steriles inter arenas.
Pluribus Posterorum manibus
Distractæ opes decrescunt,
Augentur in immensum
In plurimis Pauperum depositæ dextris.
Dum seruantur ab vno
Pereunt omnibus.

Cre-

Creditæ omnibus,
Etiam aucto censu durant integræ.
Dare quàm ferre opes promptior
Munificentissimus Antistes,
Omnium, suas censebat vtilitates,
Aliorum incommoda suis permutabat commodis.
Alienæ cupidior inopiæ
Quàm suæ ambitiosus fortunæ;
Honestioris generis pauperiem
Ne erubesceret in publico
Priuata tegebat ope.
Abundè Laudis se nactum ratus,
Si semet conscio fuisset meritus.

ELOGIVM NONVM

Illustrisimo & Reuerendisimo Præsuli, Religiosorum Patri & Patrono, nec non afflictorum communi Refugio.

RELigiosorum egestatem
Vti nôrat liberis susceptam votis,
Ita liberaliore ornabat munificentia.
Cum è Martis ferro
Ferream induissent indolem,
Iniquæ sortis tempora;
Ipse in auream recudit ætatem,
Non alia arte quàm liberali.
Experti Sacri Religiosorum Ordines

Profuſam Præſulis & Parentis beneuolentiam,
Promptiores præuenientis manus,
Quàm aduentantium pedes
Quandoque dictitabant.
Addit certè beneficijs pondus, ſpontanea Liberalitas.
Quod non niſi demiſſa fronte extorqueas,
Beneficij nomen vix meretur.
Quia caro venditum, nimis caro emptum eſt.
Neque Liberalitatem deſtituebat Clementiâ,
Miſerorumquerelas tàm libenter audiebat,
Quàm ferebat illibenter.
Cùm omnes paterno complecteretur animo,
Facilè benignis etiam accipiebat auribus.
Non modò erga commoda omnium oculatus,
Sed etiam auritus.
Dici potuit, erga petentes,
Aures habuiſſe in manibus:
Nec defuiſſe erga ſupplices
Aures in pedibus.
Totus Auritus,
Optimè apud omnes audijt.
Longiore apud mortales vita digniſſimus,
Niſi ad immortalem Superi euocaſſent.

PANE-

PANEGYRIS EVCHARISTICA

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Antiſtiti, Almæ Vniuerſitatis Vilnenſis Cancellario, collapſa literarum domicilia reſtauranti, atque Academiam Præſulea authoritate, gratiâ & beneficijs prolixè fouenti.

REuocatâ ab exilio Patriâ quæ inter barbara Moſchi Imperia à ſe exulârat, & Lithuano Orbe quem hoſtile ferrum bellis lacerauerat, ad ſenſum pacis compoſito; Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Dominus, Cancellarius Almæ literarum Vniuerſitatis Academiæq; Vilnenſis, in partem curarum quibus ſacros moderabatur faſces, etiam literariam Lithuani Athenæi Rempublicam, tàm benignè clementerque admiſit, quàm fortiter ſtrenuèque admiſſam reſtaurauit, reſtauratam promouit, promotam ingentibus ornauit atque condecorauit beneficiis Ita nimirum ſe ad Præſuleos faſces gubernandos, ornandaſq́, literas diſpenſabat; vt non minùs illos præclaris ſuſtentaret factis, quàm has conſilio, auctoritate, liberalibus erigeret impenſis. Norât ſcilicet æquiſſimus rerum Arbiter Præſul iuxta ac Cancellarius Illuſtriſſimus; quanta vi animos moreſque ſubigat licentia, quos cultus literarum non præocupat; norât ciuilis diſciplinæ rationem obtuſo rationis impetu langueſcere ac pene emori, quàm ingenia literaria exercitatione non vegetant; norât denique regnorum authoramentum eſſe literas, conſiliorum oracula, virtutum baſim, dignitatum ſplen-

ſplendorem, publicorum regni munerum animam, ac quoddam humano vigore ſublimiùs Numen. Quocirca bono communi etiam poſt fata ſubuenturus, à belli ſqualore ac temporum neglectu, humanam diuinamq; vindicauit eruditionem. Contra contemptum ſuâ ſæpiùs ornauit præſentiâ, contra inuidiam muniuit gratiâ & beneuolentiâ, contra ſæculi faſtuoſi ambitionem extulit auctoritate. Non minùs decorum cenſebat adire Athænea quàm ſacras conſcendere exedras. Non minùs honorificum Laureatos effulgere pro pulpitis Vertices, quàm Infulata pro roſtris perorare Capita. non minùs laureis quàm tiaris decorari Eccleſiæ Proceres. Vt perenne ſuæ æſtimationis erga literas, in animis noſtris erigeret monumentum, collapſa reſtaurauit artium honeſtiſſimarum domicilia. Spectat literaria Iuueutus Munificentiæ Tuæ Illuſtriſſime Cancellarie, in Palladem argumenta, quæ literarum vice, parietes Tua reſtaurati ope exhibēt legenda ſpectat inquam grata ſuo Mecænati Sapientia, dicetq; ſecuturis poſterorum ætatibus, quo affectu fo-ueris Muſas, quâ beneuolentiâ exules reduxiſti ad Patriam ſedem literas: commemorabit geſta præclareq; facta, quibus auitas Lithuani Athænei immunitates ſis tuitus, neque modò inanibus commemorabit verbis, ſed renouato generoſioris animi calore, vegetior ad literas naſcetur impetus, mentis excutiet ſocordiam, pectora ad ingeniorum pugnam inflammabit, exhortabitur ad laureas Peripatheticas iuxta ac Theoſophicas. Et iam copioſa laudis Tuæ gloriæque materies, Nobiliſſima Lithuani, Rutheni, Samogiticiq; ſanguinis nominiſq; Iuuē-
tus,

tus, de Tua beneuolentia literis animos instruit, virtutibus excolit mores, præclaram ingenij indolem ad Patriæ subsidium Ecclesiæq; ornamentum format; cùmq; diligentiæ suæ gloriam maturâ iam studiorum messe, retulerit, Tibi Tuoq; Nomini gratas nectet Laurus, quas barbaro Moschi ferro euulsas, iterum plantasti, consecrastique Præsul ac Cancellarie Academici Athænei meritissime. Respice iam ab alto, quo beatus, vt piè credimus, degis siderum regno; & exilia extemporalis calami officia, ab affectu æternùm Tuo Nomini deuoto profecta, eâ qua olim solebas, complectere beneuolentiâ. Nos Tuis Manibus optimè precati, immortali litabimus gratitudine.

PONTIFICIA TIARA

Gentilitijs Regum Ducumq; insignibus exornata, proprioq; Virtutum ac Meritorum splendore illustrata.

A Celsissimo S. R. I. Principe, Illustrissimo ac Reuerendissimo D.

D. MICHAELE STEPHANO

Comite in Radzieiowice, & in Kryłow, Varmiensi Sambiensi, Antistite,

Atq; eidem, Oratorio Pöeticoq; cultu, Nomine Collegij Resseliensis Societatis IESV dicata oblataq;.

In Stemma Celsissimi Principis ac Præsulis.

Regius Vmbo *nitet, nitet* Astro *splendida* Luna,
Auratis villis Agnus *& ipse nitet,*
Regia Virgo *nitet, domitum quæ subiugat* Vrsum,
Et decus Heroum Crux *Melitæa nitet,*
Præsulis ô quanto resplendent Arma Nitore!
Præsulis at Virtus *Pulchrior ipsa nitet.*

Celsissime Princeps, Illustrissime & Reuerendissime Antistes.

PONtificiam Tiaram Tuam Serenissimis Regum Principumque insignibus exornatam, ac domestico virtutum Tuarum splendore illustratam; cuius Nomini & Honori potiùs dedicaremus, quàm cuius Sacro Vertici, Polonæ Romanæque Maiestatis manibus est imposita? Infra gloriæ quidem Tuæ dignitatem, fatemur eam venerationis apparatu, à tenui facundia nostra esse celebratam, sed in Tui cultum humili procumbentique facilè ignosces eloquentiæ: vtpote, quæ ad Principis ac Præsulis sui fastigium accessit venerabunda. Dum Cœlitum Vicaria in terris Numina, Honor ad publicam venerationem extollit, nemo in debitã Maiestatis obseruantiam, sese composuerit cultiùs, quàm qui humiliùs, nemo Honori assurrexerit decentiùs, quã qui infra Honoris fastigium sese demiserit profundiùs. Et certè, quis Diuinos sacræ Tiaræ Tuæ honores, satis sublimi extollat encomio? quis sat amplâ exæquet Panegyri, vastissima Regum & Ducum auita decora? quæ in Præsuleæ purpuræ Tuæ splendorem, Sanguinis æquè ac virtutis vinculo sunt conserta? illustrior multò ac augustior sacrorum Fascium materies est, quàm vt angusto dictionis ambitu concludatur. Magìs adoranda silentio, tot Heroum, Tecum cognata Maiestas, quàm vmbratili verborum splendore non tàm illustranda quàm veriùs obumbranda. Effulget in ipso dictionis limine

Rena-

Regnatrix Serenissima SOBIESCIORVM Domus, quæ cognato Te nobilitat sanguine, in Illustrissima Tua Auia, CATHARINA à Sobieszyn SOBIESKA, Palatini Lublinensis Filia. Resplendet vetustissima Comitum Heroumque genitrix Tarnouiana Familia è qua in Illustrissima Heroina EVPHROSINA Comitissa à Tarnow, Filia Illustrissimi JOANNIS Comitis à Tarnow, Castellani Zarnowicensis, maternum trahis sanguinem, sæpiùs in Tarnowiorum & Radzieiowiorum Domo, sacro coniugij foedere ad immortalem sociati nominis gloriam coniunctum: tùm Serenissimi Regis MICHAELIS Serenissimæ Matri Comitissæ à Tarnow, tùm Illustrissimo CONSTANTINO Duci in Wisniowiec & Zbaraz WISNIOWIECKI, Palatino Belzensi, nec non Illustrissimis Ducibus in Ostrog, tum maximis Sarmatiæ & Lithuaniæ Heroibus ZAMOISCIIS, LVBOMIRSCIIS, LESCINIIS, KAZANOVIIS, FIRLEIOVIIS, RADZIWILIIS, SAPIEHIS, ROZRAZEWSCIIS, cæterisque compluribus. vt non ex vano verendum sit, quod in coeli Illustrissimum Sidus, oculos intendentibus vsu venit, vt repercussâ acie tenebras è luce colligant; ita è coelo Tuo Gentilitio Serenissimis Regum & Principum Solibus corusco, caliginem in vicem splendoris perstricta referat oratio, labemque inflictæ à luce obscuritatis reportet, dum in Tui Honorem, è tanta Heroum gloria dictionis splendorem elaborat. Verùm iniquus hic, non Tuus fulgor est, qui intentum in venerationem oculum reuerberet. Gaudet oculi testimonio luculenta Virtus, & Illustria facta, ad cultum inclinant intuentium animos. Non raró ab Augusto sole visum

firmari ſenſimus qui laboranti oculo intrepidam firmauit aciem. Talis à Gentilitijs Tuis Armis labitur ſplendor; ſcilicet, quem Sereniſſimum Regnatricis Maieſtatis Scutum, Solis inſtar vibrat; vibratumq; plenis radijs, Tuæ circumfundit Tiaræ. Talis à domeſtica Luna Tua, ſtelliſque Principum auitâ luce ſignatis, in publicum fulgor ſpargitur; qui circumfuſam vndique errorum nocte Varmiam, magno Nominis Tui ac Præſuleæ dignitatis ſplēdore ſerenat; nouoque ſerenitatis prodigio, medias inter Hæreſum tenebras, meridianum lucis orthodoxæ Solem in Varmienſi Horizonte exhibet. Talis è placido Agni Tui vultu promicat candoris radius, qui Te non vano omine, Candidatum Varmienſis Agni Paſtorem, iam in auito ſtemmate multis retro temporibus præſignauerat; vt non immeritò Tibi pro inſignibus, Candorem & Innocentiam Agni præferenti, Varmienſium Agnus conueniat paſcendus: vtpotè qui medias inter Hæreſes, à ſeruata Orthodoxæ fidei integritate, ſemper fuit Candidus, ſemper floruit Innocens. Neque à florentiſſimo Proſapiæ Tuæ campo, in quo Illuſtriſſimi Generis Gloriæq; Hæreditarius Tuus paſcitur Agnus, ſterilis virtutum atque meritorum meſſis refulget. Tanta eſt, quæ Nomini Tuo ad immortalitatem alendo abundè ſufficiat. Firma nimirum ſunt & immortalia Heroum ſtemmata, quæ virtutis integritate, ſolidiſſima gloriæ baſi conniтuntur. Nil adeo breui temporum curſu, Regnorum & Illuſtrium ſtirpium magna Nomina in ruinam præcipitauit, ac deſertus Numinis Virtutiſque cultus. Celeri abhinc fato, magna rerum & gloriæ momenta ſunt euer-
ſa.

ſa. Stant firmiore poſterorum & Honorum ſerie, Familiarum trophæa, ſtabuntque ſuſpicienda æternitati, quæ ſincera validiorque ferro ac mœnibus virtus cuſtodit; & contra temporum fortunæque inſidiantis vices, amicâ cœlo & æternitati munit innocentiâ. Habes huius teſſeram typumque Innocentiæ, Gentilitium Agnum, qui ab intaminatis Tuis magis candicat moribus, quàm niueo fulgeat velleris candore. Accedit huic illuſtre incorruptæ virtutis & gloriæ teſtimonium; integerrima ſeu Fidei, ſeu Iuſtitiæ, ſeu Pietatis, teſtis Virgo; Gentilitio Tuo inſidens Vrſo triumphatrix. quam bellica Maiorum Tuorum facinora, proſtratis deuictiſque immaniſſimis Turcarum ac Tartarorum hoſtibus, ceu indomitis Vrſis, in perennes ſuæ victoriæ duxerunt triumphos. Stat victrix Virgo, æternum Martis Veſtri trophæum! Triumphat aſtris genita Aſtræa, iam domi Veſtræ incola; nec minores agit triumphos in Præſulis ſui pectore, quod Dei Cœlitumque ſacro ſuccendit zelo. Cœlitum ſede, nec minùs gentilitio Antiſtitis cœlo, oriunda Virgo, expanſis brachijs Varmiam complectitur; tanquam à ſeruato Romanæ fidei illibato flore amicam Virginem, Tuæque fidiſſimæ curæ, auſpicato nuptiarum Agni omine deſponſatam. Fortunata Gentilitij Tui & Varmienſis Agni Societas! Pontificio ſubarrhata annulo, Regij Martis Scuto, contra fortunæ gloriæque hoſtes communita, celſiſſimis denique Principum ac è Cœlo deriuatis lunæ ſiderumque inſignibus, ad immortalem Nominis ſplendorem exornata! Venerare fortunam ab Agni Candore bono omine fauſtam, & liberales Po-

li atque Polonarum Maiestatum fauores, in tanto adora splendore Varmia! Iam tandem post luctuosam illam vicinarum Prouinciarum ab amico auitæ fidei nexu defectionem, læta capesse solatium; dum amplissimam Heroum domum, orbis Poloni Imperatorias Maiestates complexam, in tuorum accessionem gaudiorum, ac Diœcesani Agni dotem & ornamentum, secum Illustrissimus Præsul infert. Scilicet non solus is magnifico suæ gloriæ apparatu, ac longè lateque comitantium virtutum coronâ cinctus, tecta tua subit. Stipant Antistitis latera, Domestici Nominis Proceres, Prima Lechiæ Numina, longâ retro ætatum serie celebrata. è quibus paucos indigito recenti etiamnum famâ superstites; ANDREAM RADZIEIOWSKI, Palatinum Plocensem, Heroem Martis & Palladis gloriâ, orbis Poloni terminos prætervectum. Cuius capacissimum militarium rerum animum, ipsa prætexta sat edocuit, dum generosis ausibus annos antegressus, proprio testatus est exemplo, omnem ætatem sat adultam esse virtuti; quando rarâ virium fortitudine Gotico formidandus Leoni, non semel validas illius repressit fugauitque cohortes; gloriosissimus etiã in hostium ore celebratus Achilles. Huius non degenerem à præcelsis cogitationibus Filium, STANISLAVM RADZIEIOWSKI, Castellanum Gostinensem, Curiæ Regni Mareschalcum, tantis amoribus prosecuta est Maiestatũ beneuolentia, vt ob tersissimæ laudem eloquentiæ, & sublimium consiliorum promptitudinem summis eum destinaret regni dignitatibus, nisi digniorem immortalibus honoribus censuisset præmiator maturæ in immatura æ-

tate

tate virtutis Olympus. Verùm ætatem suppleturus, rectè factorum gloriam in paterni sanguinis & magni Nominis Hæredem transcripsit; & Sarmatia vniuersa suspexit, STANISLAVM Palatinum Łęnciciensem; tantæ apud Polonas Maiestates authoritatis, vt non modò Serenissimus Poloniarum Rex SIGISMVNDVS, eundem sæpiùs cum tota Regia Domo familiariter inuiseret, verùm etiam in illius tanquam magni Athlantis, Patriæque Patris prudentissima consilia, grauem Regiæ gubernationis molē reclinaret, ijsdemque fulciret. Hoc Heroe maximo prodijt HIERONYMVS Regni Procancellarius., Lomzensis, Bielscensis, Solecensis, Varecensis &c. Capitaneus, Illustrissimus TUUS PARENS, vir summis naturæ dotibus ornatissimus, nulli non fortunæ inuictâ animi fortitudine semper par: in quo sera seculorum memoria mirabitur, raram Herois cum fortuna luctantis Tragædiā. Qui decumanis fatorum tempestatibus tandem pacatis, communibus Reipublicæ votis ad Portam Othomanicam Orator Magnus destinatus, in publica hac & perardua functione, Orbis Christiani negotium sustinendo agendoque, diem pro Patria & bono Christiano clausit extremum. Magnanimum eius Cor grauissimis ærumnis exercitum, Hierosolimam tanquam à calamitatum Crucisque fama celeberrimam vrbem, transportatum, Patienti Triumphantique DEO, ad eiusdem gloriosa triumphalis sepulchri trophæa, in perennem Herois in Polonæ & Orthodoxæ rei expeditione, vitâ & ærumnis gloriosè functi honorem, ceu votiua Natorum gratæque Posteritatis Lampas lucet appensa. Cui æquissimo en-

comio

comio epigraphen quispiam inscripsit. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Cineres in Patriæ gremium, Maiestatum Regiam Sedem, Varsauiam illati, in Auito Maiorum Mausolæo, publicâ regni Procerum pietate litante, sunt repositi. Taceo immortales alios paterni ac materni sanguinis Tui Maiores, qui collecto plurium sæculorum splendore, Principibus Regni Dignitatibus, Officijsque ornatissimi, longè latèque suæ ornamenta gloriæ explicant; atq; Te ingredientem, Illustrissimâ circumdant coronâ. Illum Melitensis Martis meritissimum Ducem, complurium bellorum gloriâ, Othomanicis viribus formidandum, silentio hic præterire nequeo. Scilicet MICHAELEM KORNIAK, qui cùm victricia Melitensium arma Dux agminum, terra marique circumtulisset, & Illustri militaris Nominis famâ non modò amplos Candiensium Insularum, Oceanique tractus impleuisset, verùm etiam Othomanicis Imperijs, Martiæ suæ virtutis formidinem & venerationem incussisset, tandem è patrio Candiæ solo, comitante gestorum gloriâ, & compluribus gloriosissimæ suæ familiæ cognatis, ad Poloni Martis campum sese transtulit, Patriam extra Patriam nactus. quàm dum celebribus è Turcarum Moschorumque clade relatis victorijs Matrem sibi peperit, perenni meritorum iure ad publica præmia Honoresque patrios obstrinxit. Ex huius Prosapiæ gloriosissimo sanguine Maternam ducis Auiam, CATHARINAM de Bialoboki KORNIACIOWNAM Heroinam fortunæ animique ornamentis laudatissimam. Fulget à victricibus Melitensis Herois huius signis, triumphali

Crucis

Crucis trophæo, Pontificia Tua Infula, non ſecus ac pretioſiſſimo reſplendet coronatus hyacintho annulus, aut Imperatorij ſideris gemmâ ſtellatus coruſcat Orbis. Crux enimuerò prima Princepſque Cæſarum & Regum Chriſtianorum gloria, vt adoratis orbi verticibus inſedit, illico vniuerſa orthodoxi orbis diademata, Heroumq; inſignia, diuinâ nobilitauit Maieſtate. Hinc Martijs Ducum Scutis, victrix fortitudo, Regijque ſplendor Nominis; hinc Gentilitiæ Tuæ ſtellis redimitæ Cynthiæ, auguſtior lucis dignitas; hinc domitrici immanis feræ Camillæ impauidũ pectus, hinc denique triumphatori Agno, victoriæ Honorumque omen fauſtiſſimum. In hoc Crucis Tuæ ſigno, gentilitia Honorum & Armorum vniuerſa coronantur inſignia. Quanta verò hinc & quàm illuſtria encomiorum argumenta Tibi naſcuntur CELSISSIME PRINCEPS, quàm copioſa laudum Tuarum ſeges, quàm diues gloriæ Tuæ meſſis! Conuolant hæc omnia, & quaſi agmine facto, longa præclariſſimorum factorum ſerie, in Præſuleæ Dignitatis Tuæ aggratulationem, Diuinique Honoris venerationem hodie circumſtant, flexoque poplite, Magnum Virtute ac Tiara Antiſtitem adorant. Inſerunt ſeſe nullo orationis numero recenſenda Illuſtriſſimæ Domus Tuæ decora, & ceu innumeræ ſtellantis poli gemmæ, venerandum Præſulis adornant diadema. Cui, artifice virtutis Tuæ dextera inſertæ, pluſne Præſuli honoris conferant, an à Præſule dignitatis referant, in ſociata mutuæ lucis Maieſtate, difficile eſt cenſore dignoſcere oculo. Accipe interim CELSISSIME PRINCEPS, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, exile ſinceræ venerationis

tributum, quod ab officiosè concinnatis laudum lenocinijs, alienum esse aduertes. Populare studium & fauorem, calamus noster non sectatur; vtpotè quem à blandiendi periculo sors religiosa procul remouet. Æqua ratione in Dei encomijs, ac vicariam Dei potestatem sustinentis Præsulis laudibus, Religiosos nos esse decuit, & oportuit. Nihil hic quisquam in tenui dictionis labore reperiet, quod assentatio supra meritum attollat; cum exaggeratæ Tuæ virtuti, ac ad maxima erectæ indoli, nulla par afferri possit encomiorum magnitudo. Admitte igitur Minimæ Societatis IESV sub amplissimo Patrocinio Tuo, Clientes seruosque minimos, & cùm minùs nos verbis expressisse, quàm animo parraueramus, legeris: Tu Magnitudinis Tuæ ac Celsitudinis conscius, non minimis nostris laudibus, sed maximis Tuis virtutibus, ac Tuâ CELSISSIME PRINCEPS & PRÆSVL magnitudine Te metire, nostræque tenuitati de Tuæ gloriæ amplitudine adde complementum.

SPLENDOR TIARÆ

E Domestica Illustrissimi Præsulis Luce refulgens.

PVlchrum Gloriæ Decus,
Quod domesticis partum est laboribus.
Alieno censu splendores adsciscere,
Raptis est ditescere opibus.
Inter noctis tenebras nascuntur sidera;
Quæ alieno Solis irradiant lumine.

Lucem

Lucem orbi oſtentant
De nocte.
Ita nimirum
De alieno aduentitius ſplendor,
Aut obſcuræ, aut dubiæ lucis,
Notam habet.
Regij ſideris lux eſt,
Lux Tuæ Præſul Tiaræ;
Non ſecus ac Sol, Siderum Princeps,
Proprio coronaris ſplendore.
Ne cœlico Tiaræ ſplendori deſit,
Æſtimatus terris fulgor,
Fulget & ab auro pretioſa.
Sed quod Virtutis labor,
Non ſacra collegit fames.
Quod profuſus Maiorum ſanguis,
Meritis inſcripſit,
Vt eſſet Gloriæ Pretium.
Quod Prœmiatrix Regum Dextera,
Tiaris Laureiſque ſignauit,
Vt fieret Honorum Prœmium.
Si Præſulei materiem Diadematis,
Scruteris curioſiùs,
Domeſtico ea quoque auro conſtat,
De aureæ virtutis vellere,
Contexta.
Non hanc peregrina Phrygum manus,
Non doloſa Iaſonis ambitio,
Sed innocua Præſulei Agni merita

Virtuſque & Sapientia
elaborarunt.
Dignus & hic Agnus
Ob inuictam Maiorum fortitudinem,
Ob calcata Martis Mortiſque pericula,
Diuinos Tiaræ capeſſere Honores,
Qui
Inter mille aduerſorum ictus
Inuictus;
Diuini genio Agni præditus,
Ab ipſo iniquæ ſortis caſu,
Ad ſublimius gloriæ faſtigium,
Summo Vrbis & Orbis Antiſtitis oraculo,
Polonæ Maieſtatis votis
Suffragante,
Eſt prouectus.
Ita Heroum præcelſæ Mentes
Fatorum vi nonnunquam premi,
Opprimi poſſunt nunquam.

ILLVSTRE DECVS TIARÆ,

Gentilitio Illuſtriſsimi Præſulis Agno refulgens.

ILluſtriorum ſub Ioue ſiderum
Quà regnat inter Martia pectora
Reginâ libertas, Polumque
Conſilio Lechicum Senatus
Supportat Atlas; non ſine regio,
(Ceu Sole ſummo Principe ſiderum)

Terris

Terris adorato Polonis
Numine; Quis video quis Agnus
Augusta Tempe candidus incolit?
Quà pulchra Chloris, diuite gloriæ
Exornat arua messe, aûumq;
Et proaûum atq; abaûum coronam,
Ceu purpuratos Elisijs Polis
Figit pyropos, florida sidera;
Lunamque stellasque & corusca
Signa Crucis, Clypeosque plantat;
Isthic quis Agnus Pascua gloriæ
Heroum auito sanguine consita,
Ceu dapsiles herbas, Thasique
Nectareas lacrymas reuellit?
Mixtas acanthis ac violis rosas,
Sexcenta auitæ symbola purpuræ,
Victoriarum sanguinisque,
Atq; togæ radiantis auro,
Plantata campo stemmata florido
Quis carpit Agnus nectareæ Ducum
Conuiua mensa? quam Deorum
Ambrosiæ dapibus coronant.
Stat Martialis stemmate nobili
Chorus Deorum & Numina Lechiæ
Insculpta ceris stant vetustis,
Scipiadûm magè clara factis.
Tantas quid inter Dux acies agit?
Tondere campos aptior & sata,

Agnellus insons? quàm Gradiuum
Sarmatiæ redhibere campo?
Quin cordis expers, ô timidum pecus!
Dum Martiarum fulmina glandium
Rauco per obiectos fragore
Massagetûm reboant aceruos,
Ceu tortuoso vulturis impetu,
Quem prædæ in agros dira fames rotat;
Agnelle vix visis sarissis
Cum capreis tremulisque ceruis
Ibis sub antrum. At quid pauidas canis
Clio latebras? quid profugum retro
Cessiße? quid campos metentem
Purpureos, dape quid Deorum
Vesci? Vmbra cedat, cedite conditæ
Sphyngis tenebræ, clara age tinnulos
Latoe neruos, vt canoram
Solicitante chelym Thaliâ
Noscamus Agnum. Dic age tibia,
Desiste sensus ire per abditos,
Agnus quis Heroas Polonos
Inter agit Lechicumque Martem?
Agnosco vellus, velleris inclytum
Agnosco stemma. En mille pericla per
Per mille sortes, Agnus iste
Palma velut resupina, tollit
Sublime frondes, dum grauior trahit
Sors in ruinam, pondere ab incubo
Victrix resurgit, erigitque
Vsque sub astra pilos, triumphi

Pal-

Palmaris arcem. Sic venit arduo
Ad summa nisu, velleris aurei
Plus aureæ virtutis Agnus,
Sarmatiæ Procerum Ducumque
Et purpurati sanguinis inclytus
Agnellus Hæres. Dignus ut arduæ
Sortis triumphator, Togasque
Præsuleasque metat Coronas.
Non is perenni fænore diuites
Gazas, agrorum demetit, aut sacro
Illectus æstu, auro comantem
Cæsariem arte legit dolosa;
Vt Thessalorum iuncta ope Principum
Aurata Iason detulit arîetis
Dona, & trifaucem consopiuit
Auriferi nemoris Draconem.
Gazas sed auri diuite dextera
Ceu liberali depluit alueo
Fons indigentûm, quando Præsul
Varmiacas pede tangit oras.
Chersona qualem nectaris alueum
Spectauit Agni prolicitum pede,
Siticulosi Præsul olim
Quando gregis recreauit æstum.
Hic Agnus ille est, ceu nouus æthere
Phœbus, gementis nubila Varmiæ
Qui terget, & candente bysso
Innocuus sacra liba Mystes

Litabit

Litabit, ipse Antistes & Hostia!
Hunc ponè auito stemmate Cynthia
Cognata fulget, quæ repulsis
Hæreseos tenebris, Sophorum
Diuinioris dogmâ scientiæ,
Et doctioris iura Panatij,
Morumque doctrinæque lucem,
Sambiacis referet Cathedris.
Hic Agnus ille est, quem domito sacra
Vrso triumphans subsequitur Themis,
Martisque protritas phalangas,
Et Soleam & iacula in triumphos
Ducit, corusco non sine Regij
Splendore Scuti, quo stygijs citas
Antris Erinnes, & cruentas
Exiget Agnus hydras, hiante
Ætnam vomentes gutture, & efferos
Rictus Chymæræ, & capripedes boues,
Mille hæresum errorumque monstra,
Ad Garamantas & vsque ad Indos.
Hic Agnus ille est, quem comitans nouos
Fortuna Soles aurea deuehit,
Et messe fæcundâ venustos
Læta Ceres relegit Penates.
Pax Pax quoque Agnum Candida oloribus
Albis secuta, it commoda mænibus
Optata Prussis inferre, & sub Agni
Auspicijs reparare auitam

Sortem,

Sortem, trecentis frena licentiæ
Ligare vinclis, fœdere dissitos
Connectere, annososque ritus
Ad patrios reuocare mores;
Legesque primas, iuraque Ciuium,
Deliberantis prouida Curiæ
Decreta firmare, & fauore
Vnanimes sociare mentes.
O Candidorum candidior niue
Agnelle olorum! Progenies Poli,
Nutrita cælesti Latinæ
(Pasce Tuos) Pietatis aula.
Sic Varmia orat; sic Procerum sacer
Orat Senatus, cunctaque Ciuium
Corona & vniuersus ore
Vnanimi populus precatur.

FVLGOR TIARÆ,

E Peruetusta Illustrissimi Præsulis Familia, Regibus Ducibusque cognata.

AB Augusto Regum sanguine,
Non minùs Tiaræ quàm Purpuræ,
Maiestatem trahunt.
Illæ cœlis cognatam; hæ terris sublimiorem.
A vertice Tuo, Illustrissime PRÆSVL,
Celsitudinem nacta Tiara,
Maiestatum Cognatione eam altiùs attollit.
Dum Frontem Tuam ambit,

Regum Ducumque ſimul Verticem,
Ceu cognato tecum ſanguine coniuncta faſtigia,
Sereniſſima MICHAELIS & IOANNIS Sceptra
Coronat,
Quantus Tiaræ fulgor!
Quæ & Regum eſt Diadema & Præſulum Infula!
Tantam nihilominus ſplendoris & Generis Celſitudinem,
Prima duntaxat Tiaræ fundamenta,
Cenſuiſti.
Quæ
vt ad apicem erigeres,
Maiorum bene cœptis,
Operoſas Virtutis & Sapientiæ manus,
Admouiſti,
Vſque dum ad coronatam Tiarâ coronidem,
Ipſe Tuæ fabricator fortunæ,
Pertingeres.
Generis igitur æquè ac Virtutis Pretio,
Illuſtriſſimum ac meritiſſimum Diadema
Princeps & Præſul comparaſti.
Sapienter ratus,
Pondus intolerabile incumbere Honorem,
Quem Virtus non fulciat.
Nec purpuras Heroum ſanguine tingi
Ad ſplendorem,
Si intaminatis moribus innocua
non fulgeat vita.
Fumoſas Auorum imagines,
Extincti monumenta Nominis,
Emor-

Emortuæ tumulos gloriæ,
Etiam Tu ſublimi ſenſu cenſes,
Dum Magna ſtemmata,
Poſterorum factis non animantur.
Nutris igitur in florentibus Maiorum Campis,
Inter vberem auitæ gloriæ Meſſem,
Virtutis Tuæ innocentiam
Agno effigiatam.
Et quis
Gloriæ emorituram metuat?
Cui ad immortalitatem Nominis alendo
Noua ſemper ſuccreſcit Virtutum tuarum ſeges?
Quin
Adorata Aſtris Agni Maieſtas,
Dum Tiaræ Tuæ inſerta,
Gemmæ inſtar elegantiſſimæ coruſcat,
Longè lateque Tui Venerationem ſpargit,
vſque
In perennem temporum memoriam.
Mitto alia Illuſtriſſimæ Domûs decora.
Nam pendent hîc illius Arma
Hîc clypei galeæque & Martia ſigna virorum.
Ignaui Ducum Nepotes
Hæreditariam gloriam
Vt alienam à ſe, obliuione tumulant,
Succinctus æmulatione animus,
Aliena decora facit ſua.
Tu Virtutis ſtudio,
Hæreditaria Domûs decora,

Ita Tiaræ Tuæ inſeruiſti;
Vt factis ſimul expreſſeris
Magnum Tiarâ Antiſtitem.
Quanto proinde fulgore, Tiara Tua colluceſcat,
Mirabitur olim ſera poſteritas, & dicet;
Celſitudine Generis, Regum ſolia adæquat,
Cognatione, Principes complectitur Familias,
Splendore gloriæ, Cœlorum inſignia participat,
Sapientiâ denique & Virtute, maiora PRÆSVL meritus,
Quàm Honoribus ſit conſecutus.

MAGNVM TIARÆ ORNAMENTVM,

E Sapientia Illuſtriſsimi Præſulis refulgens.

NAtalium ortu coruſcanti Tiaræ,
Vt in perpetuas ſtellaret æternitates,
Sapientiæ fulgorem,
Theologiæ Iuriſque ſtudia emenſus,
Addidiſti.
Cui feliciter naſci contigerat;
Bene quoque inſtitui conueniebat,
Palladis laureâ exornari decebat apud exteros,
Quem Martiæ Maiorum Laurus
Domi ambiebant.
E domeſtico igitur Agni Campo,
Ad Sapientiæ theatrum,
Pragenſem literarum Vniuerſitatem,

Pro-

Profectus:
Coronandum Tiarâ Caput,
Capacem magni Honoris animum,
In Sapientiæ domicilium
Priùs Conſecraſti.
Difficilè ſcilicet fore ratus,
Vt Gloria Honorque ibi pullulent,
Vbi ſterileſcit Sapientia.
Et certè,
Fertilis ingenij Tui ager,
Magnas honoris & ſcientiæ ſpes,
Non diu aluit in herba.
Nullius indigus ferulæ,
Oſtendiſti,
Nec agris fertilibus nec felicibus ingenijs,
Eſſe imperandum.
Manſuetioribus iuxta & ſeuerioribus excultus literis,
Emeritam Sapientiæ lauream,
In florentiſſimo Pariſiorum Athenæo,
Lilijs exornaſti.
Par Agni Gentilitij & Sapientiæ Diuinioris Genius,
Paſci inter Lilia.
Collecto inde Candoris ſucco,
Qui nutriendis Agni innocuis virtutibus
Suppeteret;
Fœcunda virtute
Ad Honorum meſſem maturuiſti,
Quam
SVB AVGVSTIS SOLIBVS,

IOANNE CASIMIRO, MICHAELE I. & IOANNE III. SERENISSIMIS REGIBVS,
Collegisti,
Felix Spicilegium,
Quod
Sapientia,
PRÆSVLIS Tiarâ
Coronauit.

CLARITAS TIARÆ

E Collectis apud exteras Nationes Ornamentis.

QVibus itineribus
Ad calentia peregrino Sole Regna
Virtutis & Gloriæ Stadiodromus,
excurristi;
Ijsdem callibus, ad Honoris Capitolium contendisti.
Non passa,
Parandæ gloriæ deesse viaticum,
Serenissima Poloniarum Regina Ludouica,
Peregrè Tibi Proficiscenti,
Comitem adiunxit, Regiam beneficentiam.
Dignum Poloniarum Maiestate impendium,
Quod in Poloni Nominis Heroas erogatur.
Recepit cum fænore Respublica,
Quidquid ad ornandam regiæ spei Indolem,
Liberalis Maiestatum dextera locauit.
Retulisti Politicæ Diuinæq; sapientiæ,
Splen-

Splendidiſſimas Gemmas,
Quas
Tum ad exornandam Rempublicam,
Illuſtriſſimus Regni Senator,
Tum ad Pontificiam Tiaram colluſtrandam,
Sapientiſſimus PRÆSVL,
Conuertiſti.
In Principe Orbis Vrbe diuerſatus,
Vaticanæ Religionis Principem Maieſtatem,
Ita oculis animoque vſurpaſti,
Vt virtus Honorque,
Præſuleam in te exarârint Tiaram.
Cuius typo formando,
è compendio nationum & regnorum,
Literarum culturam, Morum elegantiam
Et magnarum virtutum apparatum
Collegiſti.
Ad Eccleſiæ gubernacula,
Matura iam virtute
Admotus,
Vitæ Magiſteria, gregi inſtituendo,
E morum factorumque faſtis exhibes.
Præclara priſcæ ætatis monumenta
Prudenter ratus,
Quæ recentibus obſignantur factis.
Neque otioſus
Peruoluiſti vetuſtatis teſtimonia,
Quibus Tua virtute adieciſti ſuffragium.
Redux verò ab exteris,
Diueſque

Diuesque non peregrinis, quia iam Tuis ornamentis;
Domesticum Regum extitisti delicium;
Morum & Musarum cultu,
Æstimatum.
Expositus in publico Maiestatum theatro,
Non personatam exhibuisti virtutem,
Sed summo Principum iudicio,
Censorique aulæ oculo,
Ita sinceram probasti;
Vt æstimarent
Magnis Ecclesiæ & Reipublicæ dignam
Honoribus.

DIGNITAS TIARÆ.

Præuijs Honorum titulis ornatissima,

GLoriæ præmaturus,
Ætatem otiosorum,
Meritorum annis anteuertisti.
Non patitur celer in virtutem animus,
Tarda ætatis molimina,
Nec annorum spatio,
Sua supputat præmia Honor.
Sacro Procerum Senatui,
Varsauiæ ad Regiam Diui IOANNIS Basilicam
SERENISSIMI REGIS IOANNIS CASIMIRI
Gratiâ inauthoratus;
Postea Cracouiæ

Digniss-

Dignissimus ad S. MICHAELIS Angelorum Principis,
SERENISSIMI POLONIARVM REGIS MICHAELIS calculo,
Constitutus Præpositus;
Non tam Archangeli cognomento,
Quàm illibata Principis virtute
Michaelem Præpositum Paradisi,
Quia Ecclesiæ,
Non dispari nominis munere
Te probasti.
In Oriente Honoris constitutus,
Magnis ad illius meridiem passibus decurristi;
Oculatissimus semper in virtutis cursu,
Ne aut in fortunæ sinistram aleam,
Aut floridæ oblectamenta ætatis,
Aut confinem ætati temeritatem
Impingeres.
Collegisti in decursu
Illustres Ecclesiarum Honores,
Donec ad Metam,
Adultum Honoris diem,
Eluctatus;
Radijs Præsuleæ Tiaræ,
Meritissimum verticem inseruisti
Felix gloriæ stadiodromus!
Qui inoffenso pede
Ad vsque terminalem Honoris Columnam,
Pontificios fasces,
Decurristi.
Tanti scilicet est

Inauthoratum virtutum gloriæque studijs
Principem,
Maiestatum impensis,
Ad Honorum fastigia deduci!
Tanti est,
Regum ductu & auspicijs
Publicæ gloriæ consecrari.

CÆLESTIS LVX TIARÆ,
A CÆLO,
Gentilitiâ Lunâ & stellis exornatæ.

ASsurge magnis gloria passibus
Honorq̃ue sacro PRÆSVLIS *essedo*
Effultus, altùm per Borussas
Regna super populosq̃ue famam
I sparge terras. Varmia Principe
Nouo triumphat. PRÆSULIS *Infula*
Dic, fronte consedit serena,
Æthereis decorata flammis.
Paruum est nitentis Chrysoliti iubar,
Sunt parua vilis fulgura Iaspidis,
Flámmisque gemmæ complicatis
PRÆSVLIS *auricomâ minores*
Splendent Tiarâ. Lumina scilicet
Auita celso ducit ab æthere
Stellasque Lunamque & Polorum
Omne decus patrijs reponit
Ceris Honorum. Hinc PRÆSVLIS *Infula*
Miro coruscat Lumine Cælitum

Quam

Quam dextra claris texit actis
Purpureiſque poli pyropis
Virtus adornat. Sic Superis placet
Virtutis auſus pingere honoribus.
Virtus Tiaras elaborat
Promeritaſque vehit Coronas.
Virtus ab alto, Nil generis iubar
Et liberalis Gaza peculij,
Nil Principum ceræ ſuperbo
Sanguine condecorant Tiaras,
Si facta deſint germina gloriæ,
Et Infulati Nominis artifex,
Splendorque doctrinæ coruſcus,
Claraque Relligionis auſa.

ILLVSTRISSIMA TIARÆ DECORA.
è
PRÆSVLIS *Religione & Pietate.*

MAgnarum cœpta virtutum
Ad culmen feliciter eduxiſti,
Quia conſtans in Cœlites Tua Pietas
Inconcuſſam Tibi poſuit Baſim.
Qui multum Religionis ſtudio pendit,
Officioſus Numinis Cultor,
Culti beneficio Numinis
Plus aucupatur honoris.

Ita etiam Cœlitum ingenio,
Magis in honorante quàm honorato
Honoris reſplendet pretium
Cùm plurimùm Optimo Maximo debeamus Numini,
Minus ſemper eſt quod damus
Venerationis debitum:
Maius quod recipimus,
Honorarij cultus præmium.
Adeò mutuis obſeruantiæ ſtudijs,
Summus cum infimo,
Maieſtas certat cum Mancipio.
Non immeritò igitur
Honoris Diuini partes tueri,
Tuarum PRÆSVL ducis eſſe partium.
Quin Præſulei Muneris
Partem arbitraris Maximam,
Cum nos ex integro
Naturæ Iura, Faſque Diuinum
Colendo Numini tranſcripſerint.
Quare ſapienter reputas,
Vnam veramque Præſulum eſſe gloriam
Diuinæ Seruitutem Maieſtatis.
Non patitur Numinis Indoles
Humanis ita ſe ornari ſplendoribus
Vt Cultores ſui ſinat, inglorios.
Quin vibratos in ſe honoris radios,
Illuſtriori gloriâ,
Ceu gratitudinis, ceu præmij intenſione,
Refundit in authores.

At

At verò
Desipiunt illi maximè,
Qui cœlitum iniurias, inter suas non reputant.
Neque læsam Numinis Maiestatem,
Suæ detrimenta Nobilitatis æstimant.
Nil adeo stemmata honore exuit,
Vti neglecta Diuorum Nomina.
Neque certior opum armorumque est ruina,
Quàm diuini occasus honoris.
Et iusto quidem criminis supplicio;
Vt, qui Solem lucis fontem extinguunt,
Nulla in terris luce, clarescant.

GEMINA TIARÆ LVX
Ab
Illustrissimi PRÆSVLIS *Humanitate & Munificentia profecta.*

SEcurus suæ Celsitudinis,
Magis eam attollit
Humanitate.
Cùm ad familiaritatis officia
Princeps à Maiestate diuertit,
Corda Subditorum,
Subuehentibus amoris affectibus,
Ingreditur.
Indoles est hæc Magnitudinis
Humanitate temperatæ,
Ab aliorum paruitate crescere.
Hanc Tibi PRINCEPS Celsissime,

Humanitatis laudem,
Commune ſcribit ſuffragium,
Cui nec facilitas authoritatem,
Nec dignitas diminuit amorem.
Magnus;
Sed ſine vllius diminutione Magnus,
Quin acceſſione affabilitatis, maior;
Dum ad minores, infra Tuam dignitatem,
Te demittere ſoles.
Gentilitiæ Tuæ Lunæ genium,
Imitatus,
Quæ minora non extinguit ſidera;
Candida morum & animi tranquillitate
Agni Tui Gentilitij
Genuina Imago.
Comitatur à latere Humanitatem Tuam,
Latêre neſcia Munificentia,
Quæ toties in publicum prodit,
Quoties inopum præambula egeſtas.
Mon rapit oculatam Sapientiæ mentem
Auri fulgor,
Quem pulueri eſſe mixtum nôſti.
Tunc abundè Te opulentum ratus,
Cum profuſis diues beneficijs,
Plurimorum animos,
Gratitudine obæraſti.

MVLTIPLEX TIARÆ DECOR,

é

Præclaris Illustrissimi Præsulis naturæ & Virtutis dotibus.

SPlendor fortunæ Tuæ Domesticus,
Regum Ducumque Prosapiæ est conterminus,
Præcellentes Virtutis Tuæ dotes,
Humana transcendunt fastigia,
Cœlesti siderum luci cognatæ
A tanto fortunæ animique apparatu,
Cœlum sideribus exornatum,
Non immeritò
Illustrissimam Tuam dixerim Tiaram.
Stellantes poli gemmas
Tiaræ Tuæ insertas aduertimus,
Dum stellis illustriores, animi Tui dotes,
Orbe Polono effulgentes,
Suspicimus.
Scilicet,
Ingenij solertiam, peracrem prudentiam,
Facundiam tersissimam, morum comitatem,
Exporrectum consiliorum vigorem agendiq; dexteritatē.
Non sic pulcher ab astris micat Olympus,
Nec tot numerat stellifer Orbis gemmas,
Quot in Tua resplendent Tiara,
Ab Illustrissimo animo ceu Sole
Transfusa decora.
Meritò in gentilitijs Armis,
Lunam sideribus coronatam
exhibes, Quem

Quem tot condecorant animi dotes.
Non parcioribus Virtus Tua ſtipata ornamentis,
Grande momentum honori affert.
Verùm obtegens illa ſui,
Conſcientiæ theatro & encomio contenta,
A calamo publicum non requirit.
Habet Summorum Eccleſiæ & Lechiæ
Principum,
In collata Tibi Tiaræ
Teſtimonium luculentiſſimum.
Compendium Virtuti Tuæ dicunt
Recti tenor & Honeſti iura.
Proſcripſiſti animo moribuſque
Animi morumque licentiam,
Vbique Tui potens Tuique Hoſtis,
Amor es vniuerſorum.
Ne Heroum laureæ Tibi deſint,
Domitor Tui,
ex Te ipſo victrices carpis laureas,
Glorioſa profectò PRÆSVLIS Tiara!
Quam triumphales ornant laurus,
De eodem
Et hoſte & amiciſſimo reportatæ.

VARMIA SVB GENTILITIO
Illuſtriſſimi PRÆSVLIS
REGALI SCVTO,
Contra Hoſtium inſultus, Tuta Munitaque

ECquid minaces exeris Hæreſis,
Formidoloſis vultibus impetus? *Arma-*

Armata dextram cur in iras
Lerna leuas animumq̃ue inanes?
Secura gaudet Varmia, PRÆSVLIS
Munita Scuto; Regia quod manus
Vindexq̃ue Maiestas tuetur,
Innumerâ potior phalange!
Martemne Gottus rursus in agmina
Cadenda coget? Dic age Prussia,
Quot decolorati cruentis
Cladibus erubuêre campi!
Dum nuper oris Vandalus intulit
Ferrum tuis, proh non reparabile
Damnumq̃ue labesq; & perennis
Gottigenûm Sueonumq; Marti
Clades inusta? At Varmia conside
Sub pacis umbra, PRÆSVLIS *hanc iacit*
Regalis Vmbo, terror hostis,
Murus at ære triplex, Tuorum
Quos læta cingis Varmia ciuium.
Ergo serenæ pacis in otio
Regalis Vmbonis sub umbra,
Aurea secla fluant, citatis,
Astræa bigis, & Themis aureâ
Diues coronâ, iunctaq; Comitas
Et Fas, Honestasq; & venusti
Delicijs opibusque Soles,
Rubiginosi tergite temporis
Vultus seniles, tergite Thessalæ

 Venena

Venena campis, ac Borussa
Prata nouâ reparate messe.
Arces & Vrbes, Pergama & Oppida
Fortuna visat, diues opum Parens,
Legesq́ virtutesq́ auitas,
Sors reuehat REDIMITA SCVTO.

PANEGYRIS GRATVLATORIA

Perillustri & Reuerendissimo Domino, D. Laurentio Ioanni Rudawski, Canonico Varmiensi, Olomucensem Canonicatum adepto.

QVi in auito Maiorum Tuorum stemmate cæli sidera hæreditario adijsti iure, Perillustris & Reuerendissime Domine, Domine Mecœnas Gratiosissime; næ Tu plus quàm luculentum Clarissimorum Natalium argumentum à tanta deriuas luce! Non potes non à tot siderum luminibus esse Illustrissimus; nec sacra Reuerendissimi fastigia honor tibi denegare poterat, ad quem obseruantiæ ergò ipsa cœli astra in terras descendisse videntur. Antiquissima hæc virtutis apud Romanum Oratorem audierunt encomia, vt orbis fastigio altior, ad cæli sidera eueheretur: at Tua, etiam hac sublimi laudis prærogatiuâ sublimior, ipsa sidera cælo detraxit, seq; celsissimis astris posse dominari, illustri Sapientiæ Tuæ documento comprobauit. Ita scilicet aurea virtutis merces paratur, vt non modò gloria, teste Tacito, virtutis sit pedissequa; sed & ipsa sidera virtuti famulen-

famulentur. Quis iam in terras peregrino Sole calentes te aduenisse asserat? postquam cæli astra tanto necessitudinis vinculo tuis obstrinxisti obsequijs, vt vniuersum cum sideribus cælum tibi famulari, teq; in omnes comitari terras videatur. Vbi vbi gentium agas, sub ijsdem semper degis & cælo & sideribus; nec vnquam peregrinis illuminaris astris, quia patrijs vbiq; & gentilitijs coruscas sideribus. Patriam extra Patriam incolis, & si canente patrio Vate, non multum distat terra Polona Polo, etiam Poloniam extra Poloniam virtus Tua inuenit; cui paterno iure ipse cum sideribus Polus est domesticus. Verùm vnum etiamnum sideribus tuis sidus deesse mihi vitur; ipse scilicet inter astra minora Sol astrorum maximus. At corrigit illico oculi obtutus, oculatior mentis acies, quæ Te Gentilitij Poli Solem, tesserariorum siderum Principem agnoscit & indigitat. Abesse proinde à tesserarijs tuis astris Sol non potest, quando Tu virtute & honore illustrissimus irradias; & auitæ claritatis astra magis magisq; factorum gloriâ collustras. Sensit siderum tuorum lucem caliginosa illa Cimmerijsq; tenebris dirior Reipublicæ Polonæ nox, quæ tam alto omnia sepeliuerat silentio, vt non modò patriæ inter arma silerent leges, sed & ipsa Religiosissima veritas pene elinguis fore timeretur: sensit inquam Pullata Patria sereniorem astrorum tuorum aciem; dicere volo, consiliorum prudentiæq; tuæ oculatissimam mentem, cuius Vicarios radios ipsum Serenissimum Poloniarum Astrum ad fugandas diræ noctis tenebras adhibere non dubitauit. Placuit & siderum tuorum nitor, alteri Serenissimo Austriæ
 Soli,

Soli, qui vitæ virtutisq; tuæ integerrimum splendorem adeo probauit, vt te ad Iuliomontanæ Principis Ecclesiæ fastigia ornatissimum euexerit sidus, & iam illuminando collustrandoq; totius Dioeceseos Olomucenæ cælo dignissimum elegerit Phosporum. Quanta coruscantium stellarum tuarum Lux! quantus scintillantium siderum tuorum splendor! quem bini ijq; Serenissimi exornant Soles. Meritò candidum Lunarum par in gentilitio exhibes Zodiaco: quia duos cælum tuum capere potest Soles; quorum & benigno fauoris aspectu, & clementissimo gratiarum influxu ita pasceris, vt nemo non faustis sub sideribus te agere degereq; agnoscat. in quem scilicet cæli munificentia tam abunde suas profudit opes, vt adhuc in terris astrorum te scripserit hæredem, tantamq; cultissimi amplitudinem animi dederit, qui vastissimo cælo maior, maximum Astrorum Par sua posset ambire magnitudine. Verùm quid insertæ sideribus tuis turres quid terræ Pergama cum cæli facibus agant? an hæc monumenta auitæ sunt fortitudinis, quâ sua coelo sidera inuicti eripuêre Heroes? an celsissima animi trophæa dicam? qui mortalia omnia præteruectus ad nunquam non perennaturæ gloriæ eluctatur colossos? an potiùs oculatissimam asseram speculam? quæ tot prouidentissimis prudentiæ oculis radiat, quot numerat stellarum faculas? an deniq; reseratum clementiæ & humanitatis tuæ asylum appellem? vbi opem operamq; tuam hospitantem, clientum inopia adeat. Sunt hæc omnia, & maiora his etiamnum sunt Laudis gloriæq; tuæ nunquã intermoritura argumenta; quibus cùm ego hodie immortale

mortale debitæ meæ venerationis anathema appendam; non vanè id mihi ab humanissima gratia & gratiosissima tua humanitate polliceor, vt quibus tu turribus astra & aras defendis, quibusq; sideribus sacros Varmiensis & Olomucensis Canonicatus honores collustras; ijsdē me Pergamis ceu patentissimis gratiæ & fauoris tui adytis recipias, & sideribus ceu benignissimis oculis aspicias Mecœnas.

Salutatio Illustrissimo & Reuerendissimo Præsuli Vilnensi, Alexandro Sapieha, Collegium Vilnense Societatis IESV, Festo B. Stanislai Kostka die inuisenti dicta.

HOspitem an Parentem venerabundi salutemus, ancipiti distrahitur affectu animus. Illustrissime & Reuerendissime Præsul. Recepimus religiosos inter parietes Hospitem, quem in animis semper habuimus domesticum. Adijsti humiles exoptatâ tuâ præsentiâ lares, quos iam pridem Sapiehanâ Maiorum tuorum incolis munificentiâ. Ades Hospes gratissimus, cùm nunquam antea abfuisses beneficijs Patronus. Hoc vnum votis nostris ad supremam hodie prouectis felicitatem deesse videbatur, vt cùm Sapiehanæ familiæ cognatum, Diuum Stanislaum Kostkam inter publicos aggratulantium Ordinum honores, Laribus & aris nostris inferremus; te quoq; ceu potissimam publici gaudij partem, & Kostkani iuxta ac Sapiehani triumphi accumulatum haberemus ornamentum. Ægra igitur licet ac infirma tenereris valetudine, firma tamen solidaq;, quia Sapiehana

hana animi Tui virtus, celeris sagittæ instar hodie aduolauit; & ad sublimes interq; sidera iã repositas Kostkarũ soleas, ceu præfixum pietatis scopum collimauit. Felix sagitta, quæ tam sublimi hodie fixa est scopo: neq; minùs altè collimâsse dicenda, quòd in humili quoq; Societatis domicilio, humanitatis suæ impresserit vestigia. Fortunata sanè & à geminatis gentilitiæ tuæ sagittæ crucibus, etiã sacrata Domus nostræ limina gratulamur. Viue porro (quod vnanime omniũ nostrum votum est) viue Magne Orbis Lituani Alexander; cuius victrici fortitudini, inter quotidianas infirmitates, hostiles non desunt morborum conflictus. Viue, & meliore iam triumpha morbos sanitate, quando thaumaturgus Tuus Nosterq; Stanislaus, de morbis & morte, toto vbiq; triumphat orbe. Viuit ille supremis cœlitum honoribus inter sidera ornatus; & magna adhuc Kostkani splendoris & felicitatis parte, in Sapiehana superuiuit domo. Illum igitur dum sacro Religiosi nominis nexu Fratrem in astris colemus, te quoq; Mecænatem ac Patronum; Sapiehano pariter ac Kostkano affectu, Societati nostræ addictissimum, submississimi semper venerabimur Clientes.

In funere Perillustris & Reuerendissimi Domini D. N. Minecki Regentis Cancellariæ M. D. Lituaniæ, Generalis Vicarij in spiritualibus per Diœcesim Vilnensem, Prælati & Canonici Vilnensis,

PARENTALIS PANEGYRIS

Ad Illustrissimum & Reuerendissimum Capitulum Vilnense Nomine Vniuersitatis & Academiæ Vilnensis.

Extin-

EXtinctum Sacri Vestri Senatus illustre sidus, ereptum Magni Ducatus meritissimum Cancellariæ Regentem, abstractum Principis Basilicæ Cathedræ Doctorem, sublatum è Diœcesano Tribunali Iudicem, ademptum Academiæ Laureatum Theologum; dum inter publicos omnium Luctus, & comunem vniversorum mœroremSacer Vester luget Senatus, quidni & mæsta Literarum Lugeat Vniuersitas? Illustrissimi Reverendissimi Domini. Quemadmodum diei occasus, communem publico inuehit noctem, & pullata cæli facies, maiores minoresq; orbium extinguit ignes: ita teste Romano sapiente, Illustrium virorum funera, Luctus sunt vniuersorum; & quorum vita, publicæ utilitatis studio effulserat, publico quoq; occumbit detrimento. Abeunt illi quidem contra temporum fatorumq; vices, rectè factis bene muniti in immortalitatem, nullaq; gloriæ suæ parte obeunt; verùm quemadmodum mortalem auram alienæ inspirandæ fouendæq; traxerant saluti, ita ad gloriæ immortalis lucem transgresi, non tam sua quàm suorum deserunt commoda; propriâ rectè functi, aliorum defuncti vitâ. Vixit Perillustris & Reverendissimus Dominus, communem omnium utilitatem magno complexus animo, ut non tam suo quàm alieno videretur natus emolumento; siue is sacros Procerum vestræ ecclesiæ gestaret honores, siue Magni Ducatus Cancellariæ, dignissimum ageret Præsidem, siue demum pro Diœcesis tribunali Iudex & Præsuleæ potesta-

testatis sederet Vicarius. Vixit inquam, & æquante diurna nocturnis tempora cælo, vitæ quoq; mortalis spatia, beatæ æternitati coæquauit. Non vano fortuitoq; euentu, recte factorum & consumatæ illius virtutis hic terminus obtigit: quando nimirum æqua lance diem noctemq; temperat, Sol temporum cæliq; moderator. Ita scilicet Diuum Iustitiæ Numen Astræa, pro sui clientis meritis, diem diuino edixit oraculo; vt cùm Iuris vtriusq; Laureatus Arbiter, æquitatem vbiq; coluisset, meritò sub ipsa æquinoctij tempora, æquitatis quoq; suæ, æterna sine temporum iurisq; dilatione, capesseret præmia. Exæquauit ille pari semper moderamine, diei noctisq; statiua, quando tenebras iniustitiæ, lucem innocentiæ, æquabili sententia semper addixit. Diuisit toto vitæ decursu, tanquam Magnum cæli sidus, atræ noctis caliginem à diei splendore, dum nullo vitiorum ceu tenebrarum confinio, suam passus est Lædi lucem virtutum. Impleuit tanquam sublimi repositum fastigio Iubar, magna honorum subsellia pari semper virtute & illustrium gestorum amplitudine: vt & dignitas, virtutis ornaret splendorem; & virtus dignitati par accederet ornamentum. Honorum apices, teste Cæsarum Oratore, nox sunt perpetua, quibus diem non conciliat virtutis splendor. Ille ergo dum dignitatis & virtutis quasi æquinoctium, perpetua coniunctione semper coleret, vt scilicet cæco honori dies virtutis affulgeret, meritò diem sine nocte perennaturũ, vt piè credimus, est auspicatus.

Viue

Viue & æternùm vale Perillustris & Reuerendissime Domine; iam fortuna omni celsior, gestis eminentior honoribus, Theologicis pariter ac Canonicis laureis sublimior! Capesse iam æquitatis tuæ præmia, Diua remunerante Astræa. Inscribat illa æternis monumentis, beata Regentis sui Nomina, eaq; immortalitatis sigillo, ad perpetuam rectè actorum Tuorum memoriam consignet & communiat. Imponat coronato Scientiarum omnium vertici, immarcescibiles Doctorum laureolas Diuina præmiatrix Sapientia, & Iuris vtriusque atque Theologiæ Sapientem, astris dominari iubeat. Fulgeat in perpetuas æternitates, instar stellæ clarissimæ, qui ad iustitiam æquo vitæ munerisque crediti moderamine præluxit. Vos verò Illustrissimi Reuerendissimi Proceres & purpurate Magni Ducatus Senatus, hoc solatij in lenimentum doloris capessite, quòd quem in Ecclesia pientissimum ad aras conspexistis Prælatum, iam cumulatiori pietatis in Vos affectu super astra habeatis supplicem: quem Lituania coluit in Cancellaria dignissimum Regentem, iam in sublimi illo cælorum Consistorio, vigilem causarum suarum habitura sit Patronum: quem Diæcesanum Tribunal suspexit Supremũ in Spiritualibus arbitrum & Officialem, iam defensorem iurium atq; Sacri Senatus Vestri perenne decus & ornamentum sit experturum: quem denique Magni Ducatus Vniuersitas Vilnensis venerata est Doctorem, iam illius laureata sacræ ac politicæ sapientiæ nomina ad immortalem Ecclesiæ Vestræ & Academiæ splendorem sint perennatura.

Oratio funebris, anniuerſaria defunctorum Sodalium B. Virginis die, in Vniuerſitate Iuliomontana Societatis IESV habita, poſtridie Feſti Aſſumptionis Deiparæ Virginis.

INter communes cæli terræq; applauſus, inter feſtiuas cætus noſtri MARIANI aggratulationes, inter publica & ſolennia mortalium omnium tripudia, en ferale mortis ſpectaculum, luctuoſa triſtis feretri facies! Feſtiuam Diuæ Parentis celebritatem, mæſta exceperunt parentalia, lætiſſimas auguſtæ diei ferias, funebres turbarunt inferiæ. Heri orbis Dominam, Domini Dominantium auguſtiſſimam Matrem, ad cælorum ſolia euectam, prolixis ſumus proſecuti gaudijs, hodie eiuſdem Matris chariſſima pignora, MARIANÆ noſtræ reipubl. commilitones, vitâ mortatali lugemus exutos. Et ferendus quidem æquo animo dolor hic accideret, niſi vel ideo grauior foret, quia leuior antè extitit. Abière nimirum chara pectora, & abeuntibus, ſupremum non diximus vale. Lotum eſt exanime corpus, & nos lacrymas non affudimus noſtras. -- -- *nec cum clamore ſupremo,*
Labentes oculos clauſit amica manus.

Verùm enimuero quo pietatis argumento, charis Sociorum Manibus parentabimus? quodue doloris caſtrum, noſtræ illorumq; mortalitati, ad immortalem communis fati memoriam excitabimus? Superſtitioſa, vitâ functorum cultrix antiquitas, aquam velut pellucidum contemplandæ mortis ſpeculum, ad exanime corpus con-

fluentibus exhibebat : vt haustam oculis, mortis imaginem, viuâ semper circumferrent cogitatione. Mortalitatis nimirum humanæ typum, rerumque fluxarum vmbratilem, vmbrâq; celeriùs dilabentem felicitatem, symbolicâ aquarum imagine, religiosa adumbrabat vetustas. Dilabi mortalis momenta vitæ, effluentis instar vndæ, quam cineribus puluerïq; illapsam, nulla humanæ artis recolligat industria, etiam cæca gentilium aduerterat sapientia. Quare quòd in natali vniuersorum nihilo, omnia æquè absorberentur, ac olim emerserant, ænigmatico vorantis glutientisq; omnia abyssi documento, sua nostraque erudiuit sæcula. Fuit præterea sublimior pientissimæ Manium cultricis antiquitatis sensus, quàm vt celerrimum euanescentis felicitatis nostræ cursum, non remeaturo vndarum lapsu, duntaxat indigitaret. Prompti nimirum & ad amicorum studia facti animi non incongruam pingebat imaginem, mobiles & suapte natura ad ima vallium effusos latices. Vasti æquoris sinu suam dum explicat latitudinem aqua, ad ampliores etiamnum eluctatur benefaciendi limites; abditos imperuiosq; mortali oculo mæandros benefactrix ingressa : digna benefico conferri pectori, quæ nullis bene merendi terminis suam patitur circumscribi indolem. Innumeris riuulis & fontibus diues, orbem tanquam largiendi ambitiosa, suâ ambit munificentiâ. Nec modò in extimam terræ faciem suorum dispensatrix amnium, verùm intimorum terræ recessuum largissima ditatrix; quasi matrem omnium aquam, à qua rigantur fouenturq; omnia, ampliùs sexcentis fontium & riuulorum

argumentis ſeſe comprobat. Beneficum igitur vndarũ genium, æmulata veterum religio, inferorum abdita, pietate adijt, inani quidem ſuæ ſuperſtitionis, at præclaro noſtræ eruditionis documento: vt piacularium flammarum ergaſtula, litabunda bonis Manibus noſtra viſat commiſeratio; vltorem diuinæ Nemeſis Vulcanum aut prorſus extinctura, aut benignè placatura. Habemus igitur viua mortis & in mortuos non moriturae pietatis ſpecula, quæ artifex vetuſtatis dextra, communibus omnium fatis contemplandis, in ſplendidum doloris caſtrum expoliuit ſeræque exhibet poſteritatis oculo ſpectandum. Iuuat Sodales Parthenij pellucida hæc, & iam à ſeculis, cinere omnium trita terſaq; inſpicere perſpicilia, & in præterfluentis vndæ imagine (quæ nuper inopino æquè ac luctuoſo ſpolio Mari anvm Commilitonem & Stagyritæ alumnum rapuit) vitæ noſtræ aquâ citiùs dilabentis, momentum, attenta ſpeculari contemplatione. Iuuat formæ mortalis venuſtatem, ad ineuitabilis fati ſcopum ac ſcopulum alliſæ vanitatem naufragiumque, accurato & veri cenſore oculo explorare. Littus eſt humanæ vitæ meta; ad quam decumanis fluctibus ferociùs agitati appellimus, dum non immenſos vitæ tractus emenſi, at immanes Syrtes ſcopuloſq; periculorum præteruecti, ad communem omnium matrem terram, ceu littus, è quo nuper ſolueramus, reuertimur. Quis ſcit, num Argynum quempiam fatale littus vocet, ſuoſq; terra appellenti ſinus aperiat, ineluctabili mortis amplexu exceptura hoſpitem. Timete, quorum delitioſo iuuentutis flori metendo, doloſa mortis dextra falce

armata

armata insidiatur. Timete in hostis callida stratagemata circumspecti, quos Agamemnonis trahunt delitiæ. Nam adhuc Argynæis fatis funebres occinente lessos Propertio, *Sunt Agamemnonias testantia littora curas,*
Quà notat Argynum pœna minantis aquæ.

Adhuc infausta nomina lugubri lamentantis vndæ murmure, fluctus in altum tollunt; ludunt huc illuc agitantes exanime corpus procellæ, totumq; mare longe lateq; deplorando funeri immugit. Habent nescio quas mortalitatis humanæ testes voces aquæ; quin etiam nostris insignitæ nominibus, gentilitia humani interitus insignia, fuso in speciem strati marmoris Oceano impresserunt. Insonuêre olim plena voce littora & pulchrum Hylam Neptunus profusis totius maris vndis complorauit. Scilicet cùm multùm quæsitus formosus Hylas, nusquam naufragij vestigia notasset legenda, littus, Hyla Hyla omne sonabat, teste Pòéta. Dixerunt periisse littora, luxere cum littoribus maria. Adeo vel rauco maris murmure, funeris nostri nos monet Præfica Thetys. Crede, quisquis audaci Icari nisu in àéra vanùm tolleris, ambisq; superbus, celsa honorum culmina, aut aurâ leuiores blanditiarum illecebras, inani conatu, ceu cereo alarum remigio tentas: diffluent vndarum instar, ambitiosa fluxaq; studia, quibus latum ad ruinam aperuit iter, profundo maris absorpta Icari temeritas.

Nunc quoq; contenti strident Aquilone rudentes,
Inq; modum tumuli concaua surgit aqua.

Infamis toto fluctuat æquore, quem cæca gloriæ ambitio ad sidera librabat. Infelix cæli volucris, inuisa

metamorphosi in fatalem maris Nympham conuersa! Proh iuuenilis temeritatis labes, quam maris vnda nunquam satis eluat, cui in seram posteritatem perennaturæ, immortale nominis & interitus monumentum, erexit Icarium mare;

-- -- lapsas vbi perdidit alas,
Icarus, & vastæ nomina fecit aquæ.

Aquæ certè dignæ, quas inferijs nostris adhibeamus Parthenij Sodales; quas memori recolamus mente, dum incauta in altum nos leuat ambitio, casûs & extremi nescia fati. Voluunt perpetuis fluctibus augusta funera, etiam minores vndæ, hôc magis incautis infestæ, quò minùs suspectæ securis. Fluit immortalis à morte Tyberini, Tyberis, cuius aquas regio nobiles nomine nulla vnquam exsiccabit obliuio. Sistamus ad Tyberini fluminis ripam, & quoniam serenissima è regio funere mortis imago relucet, tanquam ad meridianam lucem, in alienis nostra discamus discrimina.

Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ,
Rex Tyberinus.

Heu ferales auari fluminis vortices! Regij splendoris lumen tenuis extinxit vnda! Regni columnam, exigua subruit procella! Ita vel adoratis orbi capitibus, præcocia fata vt citius aduenient, quasi accelerato per flumina nauigio, naufragia & interitum deuehunt. I iam, quisquis proiectos à fortuna titulos terra mariquc colligis, & emendicata ambitionis cognomenta accumulas; inscripturus fortè vndis gentilitia nomina, & noua ab interitu erecturus posteritati stemmata.

Sic

Sic Albula, atrato in regis funere, candida mutauit nomina, & Tyberis hodie audit, augusto Tyberini nobilitatus naufragio: testante Pöéta.

Albula si memini, tunc mihi nomen erat,
Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in vndis
Reddidit.

Quis iam properantibus suspenso dolosoque pede in caput nostrum fatis, vt humano vultu vitæq; commercio nos exuant, cineribus oculorum sidera suffundant, & collectam plurium annorum labore gloriam, ceu fucatam imaginem leui detergant vnda, incautus & inter otiosa fluentium curarum negotia, à se distractus occurrat? Ne fidas humana pulchri cupido, fulguranti inter nictitantia gaudiorum momenta, venustati; expallescit ab exangui & pallida mortis larua, formosa Charitum species. Iacent cineribus obruta, quæ fastus astris inserebat. Fabula & risus vulgi circumferuntur, quæ orbi terrorem incusserant. Iactatur etiamnum hodie, augustum Helle Regis Thebarum filiæ nomen, Hellesponti fluctibus, truditur à ludentis ponti procellis, cui armatæ cedebant militum cohortes: remis nauibusq; teritur Hellespontus, cùm antea Helle, terris & ponto imperaret. Lugent & Ægææ aquæ, funesta Ægæi fata, immortale nomen sortitæ à morte Ægæi. Hausit hic ferrea aureo ab amne fata, dumque sacram auri sitim auariùs expleret, vitam simul extinxit. Lusit Regis in funere Comædus populus, intemperantis aurei æstus exhibito spectaculo; & vt perpetua tragicæ scenæ extarent vestigia, pedes in sublime, immerso au-

rifluis

fluis vndis regio capite, ſubditorum extulit iocus. Caue, quisquis immoderato fulgentis arenæ vreris ſtudio; ne à fului ſplendore pulueris, oculis animi perſtrictus, fatali mortis iciaris caligine:

More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer aurifera teſte pependit aquâ.

Verùm quid longo marium amniumq; circuitu, noſtrorum ſcrutamur fatorum veſtigia? Orbis hic, quâ patet vniuerſus, publici omnium funeris ſpeculum, in luctuoſo illo humani generis catacliſmo, qui perenni memoria, adhuc in omnium exundat mentes, exhibet ſpectandum. Iacebat operoſa Tonantis moles aquis oppreſſa, cæli terræq; illuſtriſſimum lumen, homo, fatalibus extinctum aquis occiderat, vniuerſa terræ imperia fluctibus operta, apertam ſtragis humanæ ſcenam longè latèq; oſtendebant. Nullum in maximo omnium diſcrimine videre erat diſcrimen; ferarum animantium pariter, ac diuina ratione præditarum mentium corpora, inter decumanis immaniores iactabantur tempeſtates: Sceptris raſtra, purpuræ lacernis, ſuperba palatia malè materiatis tuguriolis, confuſo naturæ fortunæq; ordine, permixta fluctuabant.

Occupat hic collem, cymbâ ſedet alter aduncâ
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.
Ille ſuper ſegetes, aut merſæ culmina villæ
Nauigat, hic piſcem ſumma deprendit in vlmo.
Figitur in viridi (ſic ſors tulit) anchora prato,
Aut ſubiecta tegunt curuæ vineta carinæ,

Et

Et modò quâ graciles gramen carpsêre capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.

Proh confusum rerum mortalium chaos! Vnde maior, quàm ab vndis generis humani clades! Vbi expressa magis mortalitatis nostræ monumenta, quàm in tumulo orbis vniuersi? Felicem vestram MARIANI Socij, astris iam dominantes, vt piè credere fas est, sortem! qui in tranquillo & naufragij omnis nescio mari, Augustissima Dei Parente MARIA, occubuistis. Hæc, æquor illud est, quod exanimes Clientum artus, non velut iners exosumq; pondus in littora eijcit; verùm commissa suo sinui, diuinæq; Metanææ tabulis concredita pignora, felici nauigio ad æternæ beatitatis portum apportat. Hæc, pontus ille est, in quo dum mortalis Sociorum vita mergitur, ad fortunatas cælestium incolarum insulas, elisijsq; amœniores campis emergit. Hæc, Oceanus ille est, in quo, dum rerum mortalium & vitæ temporalis iacturam facimus, æuiterna fortunarum omnium potimur possessione. Eoum mare, non immeritò, omine ac nomine, gratiarum mare MARIAM dixerim: in quo dum vela facimus, terraq; vrbibusq; ac vita mortali recedentibus, calentes peregrino sole terras petimus; supernæ Oriens patriæ, beata visione spectabilis, nobis affulget. Agite iam Sodales Parthenij, quos anceps tenet vitæ mora, fatiq; extremi formidabile momentum: propediem citato cursu, sociorum pressuri vestigia; Vrgeamus, sicubi forsitan tarda nauigantium ratis, piaculari quapiam remorâ sistitur, vrgeamus inquam, supplice cælis dexterâ celeres remos, suffragiorum Fauonijs

vela validiùs impellamus, vt pretiosæ ac diuinæ pondere gratiæ graues gemmæ [beatos Fratrum Manes intelligo] MARIANO mari deportatæ, & æstuantes sæuientiū fluctuū tempestates feliciter prætervectæ, ocius ad cælestis patriæ portum, diuino inserendæ diademati exponantur.

In funere Admodum Reuerendi Dñi Christophori Hönigk, Alumni Pontificij, Philosophiæ Auditoris; in Brunopolitano Collegio, Mense Septembri 1668. defuncti.

SVa sunt legendo melli stata tempora, sua quoq; sunt legendis virtutibus circumscripta spatia. Illa certâ anni orbitâ redeunt, hæc nullis inscribuntur mensium Calendis. Habet nimirum hoc, arduum vitutis studium, vt non tantùm angustis operosi laboris sepiatur terminis; verùm etiam incertis ludatur horis; velut periculosæ plenum opus aleæ. Hodie magno ausu in cella scientiarum & præclarorum moliminum fastigia rapimur; cras, aut subsidente adolescentis animi impetu, aut definiti stadij horâ excurrente, à bene cæptis & præcelsis retrò agimur cogitationibus. Quot generosarum mentium proposita, in longas seculorum metas se protenderant, sed vertente iniquæ sortis casu, aut communi rerum mortalium fato cogente, ictu momenti, sunt euersa? Potior Oeconomicis studijs contigit felicitas, quæ de præstituto anni recursu secura, de fauentis benignitate naturæ læta, non minùs auidè quàm feliciter, promissos æstatis autumniq; census exigunt. Consultum olim Athenarum & Sapientiæ Oraculum Solon, quo scilicet labore, secura mortales mercarentur præmia, dignam immortali edidit memoriâ sententiam. Gleba ferro culta, aurea reddit colonis fænera; at animus aurea literarum virtutisque semente imbutus, sæpe afflante liuore, inter steriles opum honorumque arenas marcescit. Dispare quocirca sorte, animorum & aruorum culturæ incumbimus. Vt ambrosias apum opes, studiosa congreget dextera, sat est, si ridentis fauor auræ, comportandis florum spolijs annuat; at cælis profluum nectar, diuinæ particulam auræ, sinceram inquam virtutem, negotioso complecti pectore, extra fortunæ omnem aleam, auramq; humanæ sortis est positum. Vt nectareos roris florumq; partus, obstetricante mellitarum volucrum labore, læto sinu excipias, castra duntaxat, palabundo per florum delitias exercitui, figas oportet: at vt virtutis & sapientiæ fructus victor reportes, non solis tantùm alienis parta laboribus, inter voluptatum illecebras colligere sufficit, verùm nulla non tentanda est periculorum alea, nulla non sustinenda quam sors tulerit, & vincenda

cenda difficultatum acies. Te ego hîc compello Admodum Reuerende ac Erudite Domine, Christophore Hönigk, ab ipso cognomento, melleo cognatus nectari, à virtutum verò & scientiæ insigni profectu, argumentosa apis non immeritò dicendus. Collegisti in Elysijs Hosiani Athenæi campis vberrima virtutum & Sapientiæ mella, tantâ boni in Christo odoris fragrantiâ, tantâ lectissimarum opum copiâ, vt & ambrosiæ laudis suauitatem in gentilitio nomine possederis, & modestissimæ conuersationis fructibus, Parthenia & Pontificia elaborandæ probitati & scientiæ destinata aluearia impleueris. Genuinæ & à Regia stirpe non degeneris apiculæ indoles est, in natales laborum & operum sedes, florum rorisq; ætherei inferre diuitias; atq; vt de genio ambrosiarum alitum doctissimus meminit Varro, exiguis licet corporibus, regiæ tamen amplitudinis animus inest, qui cælis rorantes gemmas, & terræ florentes delitias, suorum materiem laborum sibi vendicant. Non humile & vulgari animantium palato, obuium carpunt pabulum, nobiles ruricolæ; sed sudantes è rosis lilijsque gemmas, suis appendunt humeris, vt ipsis suauitatum delitijs se enutrites, regijs ornatas splendoribus ostendant. Non dispar api nostræ argumentosæ in pulcherrima virtutum fruge legenda fuit indoles. Sensit delicatissimæ mentis palato, quibus herbis inesset toxicum, quibus malè spirantis odoris deprauata aspergeretur consuetudo, quibus Veneris color odorque non obscuris prodiret argumentis. Atque vt eiusmodi contagiosam herbarum luem, securo declinaret tramite, ad conclusos literariæ iuuentutis hortos se contulit: pro quorum altero, peruigil Summi Antistitis clauis excubat, alterum MARIANA turris, mille clypeis & omni armaturâ fortium munita custodit. Solenne apud Diuum Ambrosium (ad cuius cunas examen apum conuolasse fertur) nectareæ volucris est encomium. Rore pascitur apis, suauiterque pasta, suauiores elaborat melliti partus fauos: & cùm sit robore infirma, valida est vigore sapientiæ. Et certè, quis in vili apum ad speciem ingenio, sublimis Sapientiæ latere documenta non videt? Admirandæ artis suæ munera, æquo inter se labore partiuntur; diuino propè artificio melleas moles erigunt, nectareisque distinguunt habitaculis; annuam alimoniam prouidè condunt, quasi in futura tempora solicitas exporrigerent cogitationes. Alternis tanquam in exercitu somnum capessunt, communes vtilitates in medium afferunt: nil interim curæ & diligentiæ in se rebusque suis tuendis prætermittunt. Taceo sexcenta alia diuinæ sapientiæ vestigia, quæ sat illustri sunt indicio, genus esse cælitum oris prognatum (ita eruditissimus Plinius) & sine ratione viuere, rationi conformes. Hanc quoque encomij partem, argumentosa apis nostra, meritissimo sibi vendicat elogio. Nihil siquidem in suauissimis moribus cernere erat vel ab oculatissimo, quod

insigni non esset præditum prudentia. Nil in dicendo agendoq; incultum, nil domi forisq; à compositissimo animo profectum, quod ad Sapientiam Sanctorum non esset accomodatum, omnibusq; probitatis numeris absolutum. Princeps ambrosiarum volucrum laus est, quòd virgine animo & intaminato corpore cæteras excellant animantes, & quamuis

-- -- -- angustus terminus æui
Excipiat, (neq; enim plus septima ducitur æstas)
At genus immortale manet multosq; per annos
Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum.

Ita cælibem progeniem immortalis non destituit ætas. Ita gloria nominis in seros vsq; propagatur annos, dum sibi vni viuere quis contentus, posterorum accessione, non accumulat nomina. Hoc quoq; tuas inter meritissimas laudes, intemerata corpore menteq; apis censeatur, quod intaminatum è vinculis corporis spiritum, in diuina cælitum aluearia extuleris. Et quamuis arcto spatio vitæ terminum inuida fata circumscripserint, nullam tamen metam æuiternis meritis atque virtutibus vlla vnquam ponet obliuio.



Omen de secundo Seculo Athenæi Brunopolitani, Oratoria Diuinatione propositum.

Anno seculari eiusdem Athenæi Societatis IESV Anno Domini 1665.

EXegit monumentum ære perennius, primum ortus sui sæculum, Pallas nostra Brunopolitana. Aud. Exegit inquam propitio cæli Numine, fauente Illustrisimorum munificentia Principum, adnitente sacro Perillustrium Procerum Senatu, applaudente denique bonorum omnium gaudio atque gratulatione. Et iam, quod ad Ter Maximi gloriam Numinis feliciter cedat, quod ad vberrima virtutum atq; scientiarum incrementa, ad vniuersæ Reipub. literariæ emolumentũ bene eueniat, alterum natalis sui æuum, Pallas nostra hodie ingreditur, felici vt ominor auspicio, quia secundum. Faxint Superi vt tot fulta præsidijs, quot beneficentisimos numerat Mecænates; tot nixa columnis, quot infractos suæ defensionis censet Hercules; tot illustrata luminibus, quot Illustrissima Præsulum veneratur sidera; iterum contra cæcã errorum caliginem, inuictæ veritatis robore, contra vile indoctarum mentium vulgus, cultisima ingeniorum acie dimicet atque triumphet. Verùm quodnam alterum renascentis suæ lucis sæculum alma nostra literarum Respub: hodie exorditur? illudné quod duro inclementius ferro, fera ferreaq; mortales exasperauit indole? an illud, quo vixit ahenea proles, sæuior ingenijs & ad horrida promptior arma? an alterum, quo auro deterior, fuluo pretiosior ære, argentea candidæ mentis indoles florebat? an illud denique beatisimum recens conditi orbis, aureæq;

ætatis ſæculum? flumina quo lactis, quo flumina nectaris ibant, quando nullo vindice fidem rectumq; auita noſtri generis ætas colebat? quando vomere intacta tellus, vberes profudit diuite ſinu diuitias, ſolo intemeratæ bonitatis inſtinctu? Dicam, & eloquentiæ parentem magnum de Diuinatione Rhetorem ſecutus, etiam prædicam: cuius nimirum ſorte ſæculi, res noſtræ literariæ ſecuturis ſtabunt annis. Nemo mihi aut potius inclyto literarum Athenæo, infauſto omine ferrea portendat ſæcula. Immite ferri ingenium eſt, ad verbera obſtinatum, malleorum ictibus contumax, vix graui flammarum ſupplicio ad obſequium cogitur. Totam ardere Vulcani officinam eſt neceſſe, immanes Cyclopum tumultuari manus, ventoſos ad incendia agitari folles: vt vel tenuem è duro ferro extundas clauum; tanto apparatûs molimine, tanto laborum agmine, quanto vel ſeptena orbis miracula iterum è ruderibus, excitares. Diſpar longè eſt manſuetiſſima ſacræ profanæq; Palladis indoles, quæ ipſa facillimo facta eſt ingenio, & aliorum genios facili fingere dexterâ, ad recti boniq; nutum poteſt. Hâc ſi ſaxea mortalium animaueris pectora; iterum auritas rupium ſaxorumque moles à dicentis ore ſapientiæ pendere ſpectabis. ſi ſylueſtres feroſque barbarorum animos imbueris, iterum ferarum latibula, cæca animantium ſpelæa, vaſtos ſyluarum nemorumq; tractus, altis reuulſos radicibus, à flexanima pectorum ſapientia non modò moueri, agitari, ſed etiam ad humanam manſueſcere bonitatem aduertes. Hâc denique ſi diffluentes fortunæ licentiâ animos, & decumanis affectuum fluctibus abreptos compoſueris, iterum indomitos,

tos,

tos rapacissimorũ impetus fluminum, effrenes ponti procellas, ad mansueta sapientiæ imperia còërceri, neq; modò licentiosos ponere fluctus, sed etiam fixo stare vestigio & rapidissimos cursus suspendere miraberis. Tanta in omnes quibus cum egerit, optimarum artium, est mansuetudo, tantum mansuetudinis imperium, tanta imperij efficacia, vt vano certè prædicere augurio mihi videatur, quisquis prædixerit, Palladem nostram ferrei sorte sæculi & iniquâ temporum fortunâ olim exercendam. Cum saxeis colluctandum erit ingenijs? colluctabitur flexanima mentium Regina Sapientia. Cum syluescente congrediendum barbarie? congredientur mansuetissimæ literæ, ipsamque hominibus humanitatem restituent. Ferro contumacior durities erit triumphanda? triumphabit victrix animorum Pallas inuictissima. Exerat durissimas rerum vices, & extrema temporum fata iniquum ferreumque sæculum obtrudat: mansuescent credite, cuncta à mitis consuetudine cultuq; ingenij: & noua metamorphosi in aureum vertetur æuum ferrea sæculi facies. Vile ad hæc ferri genus est & humilioris sortis metallum, quàm vt Reginam animorum sapientiam sub ferrei seruitutem æui mittat. Scio etiam altis dominari fastigijs breues dies horasq;, nedum longa sæcula; quin & breuissima momenta ferreâ quandoque induisse temporum necessitate, coronata sapientiæ capita: & victricia orbis sceptra, turpi temporis obsequio mancipasse, non ignoro. Scio hæc, nec diffiteor, sed non nescio etiam, omnibus sua quidem imperare tempora, sed omnibus non omnium imperare temporum horas. Vertitur suis distinctus sideribus annus; veri æstas, æstati

 autum-

autumnus, autumno hyems perpetua temporum ſuccedunt neceſſitudine. & ſi quiſpiam tam amica ſolui vincula, tam ſacros rumpi nexus, præſaga doceat oratione, nonne illum reum naturæ, iurati perduellem fæderis, vnanimis damnabit naturæ Reſp: ? Apage ad rura aruique incolas, ferrei ſæculi imperia; ibi, ſi regnandum ſit, ligonum, vomerum, ſecurium, aratrorum ferrea ancillabuntur obſequia. Nemini ſeruire nata eſt liberrima artium Minerua, liberis etiam facta eſt imperare mentibus. Celeres deniq; temporis alas, pernices dierum pennas, quis neſciat? volat irreuocabilis annus, ocyor Euris, ocyor alite. & certè pernicisſimum illud tempus ſit oportet, quod literarum ſpatia computet, quod volantis ingenij operationes numeret, quod æquo paſſu comitetur naturæ rationiſque inſtantia, Philoſophicis tantùm & Theologicis cognita ſubtilitatibus. quomodo verò tardo gradiens pede, graui onuſta pondere ferrea ſæculi moles, tam ſublimes celereſq; ingeniorum motus curſuſque, quin & perniciſſimos volatus comitetur? comitari autem indiuiduo paſſu eſt neceſſe, ſi temporis nomina, parteſq; ſibi vendicat. Securas igitur tutaſq; â ferrei terrore ſæculi vos hodie pronuncio; credite non vanè ominanti, pereruditæ Brunopolis noſtræ Athenæ. Sed fortè aheneum Martis æuum, armis formidabile, infame cædibus, humano cruentum ſanguine extimeſcitis? Pudeat magnas animas pannici timoris! non eſt meticuloſum aut imbelle magnanimæ noſtræ Palladis pectus, quæ multis fatalem millibus haſtam, pro aris focisque veſtris tuendis vibrat; etiam Martijs formidandam animis. Ciuilium armorum ruinas longè lateq; perſtrepentes, etiam

noſtris

nostris obmurmurantes auribus perhorrescitis? non horret Bellonæ minas Minerua, eruditarum parens mentium: quam ob calcata minarum terriculamenta ad Diuinum Mineruæ nomen & immortales tanti nominis honores, sacra euexit antiquitas. Instructas magnis copijs acies, & dubio vtrinq; Marte, quamuis non dubiâ populorum ruinâ concurrentes expauescitis? fortior & felicior est vestra ingeniorum acies, acutis inuictæ sapientiæ armata spiculis, sexcentis infractæ veritatis telis accincta, quam, si vel totus illabatur orbis, nedum Sarmaticus, impauidam ferient ruinæ. Belli fulmina, Martis tonitrua, Scipiones, Annibales, & si quod aliud eiusmodi imperij bustum vestris impendet capitibus, auersanimi? Sciunt illustrissima Oratorum Numina, facundissimi Pericles, eloquentissimi Demosthenes, fulminare, tonare, & coniurata tumultuantiū consilia, non modò miscere, sed etiam infringere, euertere, extirpare. Ad Martiale denique belli classicum ignauæ cuiuspiam aures trepidant? non trepidat ad tricenos tubarū clangores, sacer Musarum senatus, arma virumque intrepido occinentium classico. Et certè ardeant bellis imperia, perstrepat armorum tempestate Oceanus, eripiant cælo solem, concitatæ telorum grandines, immugiat horrendo globorum tonitru orbis: altius, altius se extulerunt literariæ pacis fastigia, quàm vt ahenei strepitus sæculi, altissima illa interturbent otia. Didicistis è vatum monumentis opinor, quemadmodum super mortalia euectum, laureatum illud literarum Numen, sideribus vicina incolat montium cacumina? hoc natale sapientiæ solum est. Legistis, vt altissimo orbis fa-

 stigio

ſtigio altior nouena Muſarum corona ; celſitudine animi magis quàm montis faſtigio, non procul à polo degens Apollo, in ſublimi illa ſtatione, tranquilla ſcientiarum caſtra metatus, immota ſereni vultus Maieſtate, rerum mortalium deſpiciat tumultus, fatiſcentium ruinam temporum contemnat? hæc ſapientiæ ſecura eſt tranquillitas, hic altiſſimæ pacis ſinus. Quid igitur neceſſitudinis Palladi cum Marte, quid familiaritatis, cum Bellona Mineruæ, intercedat: quos tanta animorum & locorum diſtraxerunt interualla, non video. Optimum certè factu videtur, vt iuratos literarum hoſtes, è finibus ſapientiæ, ad extremam vſq; Thulen amandemus. Sed iam candida argentei ſæculi venuſtas, animum oculoſque ad ſui contemplationem prouocat. Verùm non rapitur ſublimis ille Palladis oculus argentei luce ſæculi. Mixtus pulueri ſplendor eſt, acres nequit fallere oculos. Sidere prognatus ſapientis animus & æterno iure dominaturus aſtris, non patitur nobilem ortus ſui proſapiam, fucato ſplendore irradiari, qui lucem & ſpecioſa nomina à candido puluere emendicauit. Celſior literarum fortuna eſt, quàm vt immortalia ſuæ dignitatis nomina, eiuſmodi æri inſcribat, quod ementito fulgurat nitore. Cæleſte & inter ſtellantes poli gemmas, ſæculum Sapientis perennat: quomodo pallidæ fuco glebæ cæleſtem contaminet lucem? At ſi diurni nocturnique elucubrationum labores libris impalleſcant, nonne argentei faciem ſæculi referent? ſi integerrimus vitæ morumque candor, literarum alumnis reſperſus niteat, nonne candidi nota erit temporis? ſi lectiſſima ſapientiæ candidatorum capita, vbere partu

Minerua

Minerua proferat; si suos etiam religiosi instituti candidatos, sacræ familiæ è nostro legant Athenæo, an luculentius candidæ ætatis argumenrum quis desideret? illustre, hæc omnia sunt fateor, argentei temporis ornamentum, sed illustrius Palladis micat sæculum, quia aureum.

Auratos Rhodijs imbres nascente Minerua
Indulsisse Iouem perhibent - - - -

Pòëtæ: tanta, vel ipso nascentis sapientiæ natali, temporum cœperat felicitas! Quantam ab adulta iam & ad summa temporum gloriæq; fastigia euecta, fas est ominari? Et certè, dum superiora illa Athenæi tempora natalemq; eius ortum memoriâ relego, atq; nascentis exordia cum adolescentis progressu, progressum cum florido eiusdem statu, hunc demum cum adulta maturaq; gloria comparo: intelligo non obscurè nascentem eius lucis auroram, in meridianum altissimæ diei effulsisse splendorem, teneras eius plantulas, in proceras pulcherrimasque surrexisse arbores, angustos riuulos, in longè lateq; exundantia flumina excreuisse. Et hæc adolescentis etiamnum Mineruæ, superiori sæculo fuerunt primordia; quantam auguramur fore adultæ gloriam & ad alterum æuum prouectæ! Erit illud. [sic augurari iubet ipse præses temporum, aurei moderator æui Phæbus] erit, inquam, illud secundi sæculi tempus: quo iterum sapientia aureo orbem inuiset curru.

Aureus axis erit Themo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ - - - - - - -

Scilicet fului pretio metalli venalis hactenus prostabat honor: iam pretiosum aurum ipsæ erunt literæ, quo ceu aureo Essedo ad sacra profanaque honorum culmina,

na, euehantur literati. Erit illud opulentissimum aureo exundantis flumine æuum sapientiæ: quo

Quantum stagna Tagi pulchris stillantia venis
Effluxere decus, quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat, quantus per lydia culta
Despumat rutilas diues Pactolus arenas,

Tantis multoq; nobilioribus affluet scientiæ opibus, aureum Athenæi nostri sæculum: vt aurei torrentis instar, patrias peregrinasq; inauret terras; erit deniq; aurea illa & coronata laureati soli vbertas, quâ

Arboreæ frondes auro radiante nitentes,
Ex auro ramos ex auro poma reducent.

Tanta, fertilis soli emicabit felicitas, vt opulentas sapientiæ fructibus lauros proferat quam plurimas. Vnū duntaxat in tanta aureæ felicitatis vbertate præstari vehementer cupio; ab omnibus quidem, sed ab ijs potissimùm, quibus sincerus Suadæ amor alto insedit pectore; ne angustos inopesque ad tantam opum colligendam copiam afferant animos. Vastæ sunt literarum opes, facundiæ verò flumina amplissima. Inuictos Iasones, periculis omnibus superiores esse oportet: quibus ad aureum sapientiæ vellus eluctari per vastissimum eloquentiæ oceanum est statutum. Execrandus alibi sit diuitiarum æstus, hic etiam laudandum censeo, qui nonnisi toto eloquentiæ flumine sua patitur extingui desideria.

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. STANISLAO
SWIĘCICKI

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO CHEŁMENSI.

Fundatori SS. THEOLOGIÆ
In Collegio Varſauienſi Societatis JESV.

Nec non

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
Dñorum D. Procerum & Canonicorum
VARSAVIENSIVM CAPITVLO;

Illuſtriſsimis, Perilluſtribus, Reuerendiſsimis,

PRÆSVLIBVS, ABBATIBVS, & PRÆLATIS,
Dominis D. Patronis & Fautoribus
Obſeruandiſsimis;

Nominatim

PERILLVSTRI & REVERENDISSIMO

DOMINO,

D. STANISLAO SWIĘCICKI,

Abbati Tremeſnenſi, Generali in Spiritualibus per Varſauienſem Archidiaconatum Vicario,

Dño D. MECÆNATI COLENDISSIMO;

Perpetuæ obſeruantiæ & demiſſiſſimæ Venerationis ergò

Offert Dedicatque

Orationem pro Introductione Sacroſanctæ Theologiæ, ad Publicum Auditorium Collegij Varſauienſis Societatis JESV,

Habitam;

Obligatiſſima ſemper & deuinctiſsima Illuſtriſſimo Suo Fundatori cæteriſq; Mecænatibus,

THEOLOGICA FACVLTAS

Collegij Varſauienſis, Minimæ Societatis JESV.

Anno Introductæ in Orbem Incarnatæ Sapientiæ.

1680.

ORATIO
PRO INTRODVCTIONE
THEOLOGICÆ FACVLTATIS
ad Scholas Varsauiensis Collegij Societatis IESV.

PErtinere ad augustam Lechiæ vniuersæ fortunam videbatur, vt vbi locorum Regnatrix orbis PoloniMaiestas domicilium thronumque fixisset; ibidem Regina Regum, Principumq; Moderatrix Diuina Pallas, suam metaretur conderetque sedem. Si enim è cælestis effato oraculi, per Sapientiæ Comitia suffragiaque, ceu diuina quædam Senatus consulta, Reges sceptra capessunt, & Principes imperia adeunt; neutiquam otioso comitatu, Regum latera custos stipabit Diuina Sapientia, cuius calculo delata dominandi potestas, conditum firmatumq; solium, inserta vertici manibusq; Imperialia regni & Maiestatis insignia. Armata scilicet lanceâq; instructa iam olim à sacra doctaq; vetustate, Pallas; num infida ignauaq; manu, pro communi omnium pectore & Capite Regio, vibrabit in spiculo nõ tam armorũ quàm ingeniorum aciem? An potiùs, quia à minando audit Mineruа, minis quas reis Maiestatum diuinæ intentant literæ, telisq; quæ fatidica Patrum in rebelles iaciunt oracula, refractarias ad submissionem Principis, boniq; curam publici

compellet ſectas? Quò fiat, vt ſicut Orientis victor, Vmbo Regius, pro regni ſecuritate excubat, ita diuinarum aſſecla ſedium Sapientia, pro throno Maieſtatis & Regalis Scuti perennitate ſtrenuè adlaboret. Regnorum atque orthodoxæ rei, validiſſima ſemper fuit tutatrix Theologia; nullius excluſa Principis imperio, nullius à ſolio Regis iuſſa diſcedere, niſi à cuius conſcientia directrix priùs receſſiſſet. At quàm fatali rerum euentu illa pedem imperijs efferre ſit iuſſa, aut inferre vetita, adhuc hiante altiſſimo ſauciæ religionis vulnere, tot ſectis diſcerptã & dilaniata hodie loquuntur regna. Quæ ſi æternis diuinæ ſapientiæ rationibus, publica momenta & immane ſtatûs chaos definiuiſſent, non erant tam exitiali fine terminatura, tot ſeculorum collectam catholicæ religionis gloriam, & ſacroſancta auitæ fidei nomina, etiam Regum capitibus & ſanguine abolitura. Quis credat Angliæ regna tantis fuiſſe irretienda domeſtici ſtatûs litibus, & planè Cimmerijs Caluini ſepelienda tenebris, niſi ingeniorum & animorũ ſolem Theologiam, diuinæ iubar Sapientiæ, in ſublatis Sanctiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus, peremptiſq; doctiſſimis Vniuerſitatum Theologis, priùs extinxiſſent? Quis credat ſubditorum licentiam, effractis diuini humaniq; iuris repagulis, in Regnatrices Maieſtates, adorata terris Numina, adeo inſolenter fuiſſe graſſaturam? vt alterum throno thoroq; exauthoratum, ipſoq; regno exutum, ad patrios lares relegaret; alterum ſpecioſo ſed callido regiæ ſecuritatis curandæ ſtudio, ad vincula necemq; conquireret? Quin eouſq; effrenata refractariæ plebis efferueſceret inſolentia, vt publica regio capiti

piti

piti arma intentauerit; Aufura fortè iterum, (fi iniqua forte magna rerum momenta ita verterentur) lictoris ferro, per fceleris immanitatem de regio triumphare capite, quod nuper in Patre decufferat. Quis credat inquam, eousq; ftatuum omnium, ordinumq; regni, ferociam fuiffe progreffuram? nifi femel rupto licentiæ freno, extincta Catholicæ Religionis face, repudiata confcientiæ ductrice, contempta orbis orthodoxi Magiftra, conculcata ftatus politici & fceptrorum Moderatrice (Theologiam, cæleftem Sapientiam intelligo) in omne nefas ac rebellionis prærupta laxaffet habenas. Fruftra fublato turgentiũ fluctuum aggere, fcilicet validiffima affectuum temperatrice Theologia, leues politicarũ legũ obices opponuntur cohibendis licentiofis quiduis agendi animis; quos vna duntaxat fanctioris difciplinæ formatrix Theologia, grauiffimo æternarum legum pondere, in recti honeftiq; ftudio poteft figere. Taceo infelicem hodie, olim feliciffimam Hungariam, magna regni fui parte ab Ottomannica fubiugatam Cynthia, quæ quondam Marianâ triumphabat Lunâ, lectiffimo encomio, Dominæ imperium nuncupata. Ceffit in prædam & direptionem immanibus Turcarum manibus, poftquam religionis caput feptemcipiti Hærefum Hydræ fubmifit. Quanta porro ftabilitate inter decumanas bellorum tempeftates, & fexcenta publicarum rerum difcrimina, ftat, non minùs religione & pietate, quàm religiofiffimis ac pientiffimus Principibus florentiffima Auftria, & in Auftria ceu inconcuffa Religionis bafi Romanum perftat imperium! Quod profligatæ fidei morumq; machinatoribus pridem fortè fuccubuiffet,

nisi tot Theologorum castris fuisset propugnatum, quot sub imperialibus Romanæ Aquilæ signis celeberrimas Vniuersitates, ceu validissimas Succenturiatorũ Sapientiæ Militum acies recenset. Quemadmodum; dirutis vrbium mænibus, euersis arcium propugnaculis, inermem oportet cedere arctæ obsidioni populum; ita per factionum cuniculos, explosis in auras, sapientiæ præsidijs, aut de statione fundationum deturbatis fortissimis Sapientiæ Athletis, necesse est personatæ sapientiæ capita, venenatis Machiauelli principijs, sacra omnia susdeq; vertere, & ementitos morum cultum formamq; sanctitatis Atheistas & Pseudopoliticos, nec non blandientes Jansenij Protheos, suspenso ad fraudem pede, regnis irrepentes, in sinu non tam prouinciarum quàm conscientiarum, atrocissimâ licentiâ grassari; & quocunq; sese verterint pedemque intulerint, lethali morsu immedicabile vulnus incautis infligere mentibus, & tandem diffuso impune contagiosæ doctrinæ veneno, longè lateque per regnorum vrbiumque tractus, miserandam animarum stragem vbiq; edere. Documento sint seriæq; cautelæ Galliarum regna, pestifera Jansenij lue, non sine innumera animarum clade, compluribus annis vexata. Quibus medendis, sæpius coacta Gallicanæ Ecclesiæ Antistitum Doctorumq; concilia, ipsoq; adlaborante Sedis Apostolicæ Maximo Moderatore, etiam intentato strictoque in callidissimos fidei morumq; euersores, anathematum gladio, vix vulneri altissimo aut medelam fecerunt, aut putridam opinionum luem ex integro resecuerunt. Felicia regna, felicesq; eas prouincias, quas pericula aliena,

na,

na, (si tamen aliena,nostris necdum illata finibus) faciunt cautas! At verò faciunt etiam cautissimas. Ita me omnesq; sanctè arbitrari iubet, doctissima humanisque pariter ac diuinis literis cultissima Polonia, cui abunde suppetunt laureata Doctorum agmina, hodie etiam nouis colonijs ad Regum sedem traductis, adaucta. Vt non vana spe eos laborum fructus polliceri Ecclesiæ liceat, quos præterlapso seculo, ab hæresi per vastissima Septemtrionis regna diffusa propagataque, reportauit coronata fidei promotrix Theologia; è liliatis Sapientiæ castris, Parisiensium Vniuersitate, ad prælium quo pæne totus tunc ardebat orbis, subeundum sustinendumque, Duce Diuo Ignatio, educta. Gemebat, (infandum melior hodie rerum facies iubet non renouare sed releuare dolorem,) gemebat inquam, altero retrò seculo Septemtrio exitiali prostratus Venerei transfugæ hæresi, cùm miseratus effusam ad barathrum ruentium animarum copiam, nouissimæ minimæq; cohortis sub militaribus diuinæ Sapientiæ signis Ductor Ignatius, paruam sed validam Theologorum manum, maximis in Europa & Oriente, fidei hostium exercitibus opposuit. Conflixit magno orbis domitore Alexandro maior, minimæ Societatis Dux Ignatius. Veriùs quàm Alexander, altera manu, scilicet Xauerio, Orientem; altera, cæterorum Sociorum manu Occidentem triumphans. Ita cùm vastissimo D. Ignatij pectori, vnius orbis non sufficerent emolumenta, expansis interminatæ suæ charitatis brachiis, orbem vtrumq; est complexus. Conflixit igitur doctissimum Theologorum agmen, non alio armorum quàm cælestis Scientiæ præ-

 sidio

ſidio inſtructum,& à profligata hæreſi,ethnicaq; ſuperſtitione victrices Romanæ Religionis Capitolio intulit palmas. nulla vnquam ætatum obliuione hoſtiumque odio conuellendas; vtpote quibus immarceſcibilem laudis gloriæq; vigorem, Vaticana Summi Præſulis oracula afflarunt. I iam Vatiniano liuore ſuccenſe Zoile, & laureatum nouem Doctorum agmen, Decano ipſoq; Doctore D. Ignatio, inuido ſarcaſticoq; dente, rabularum inſtar carpe atq; lacera. quia ſcilicet docti ſacrique honoris fructus ipſe decerpere non poſſis. Plus certè ſolatij & vtilitatis afflictiſſimis Eccleſiæ rebus, decemuiratus doctiſſimorum Patrum attulit,quàm innumera Erronum illorum publicis criminibus vſtulata capita inflixerint detrimenti. Prodierant illa infeliciſſima ætate faſtuoſa Apoſtatarum capita, gigantum inſtar minis erecta, in Cælicolas & Supremum Eccleſiæ Caput;diceres Jouem Cæliteſq; aſtris deturbatura, & inconcuſſæ petræ robur eliſura, quod tamen vel fractus illapſuſq; non labefactaret orbis. Ita illi dolos dolis, fraudes fraudibus, argumenta vel potiùs figmenta figmentis, ceu montes montibus ſuperſtruebant,& ſexcentos confuſarum mentiū errores,nouæ turri Babel ad Romanæ Eccleſiæ ſubuerſionem erigendæ, comportabant: cùm ecce diuini inſtinctu conſilij & Vaticani Antiſtitis Romaniq; Senatus ſacroconſulto, Lecti Societatis Iesv decemuiri, at virium animique conſpiratione, omnes vir vnus, confuſam illam congeſtarum ex vetuſtis & obſoletis hæreſum ruderibus machinam, ceu prognatas aranearum veneno telas, Spiritus Apoſtolici ac Theologicæ ſapientiæ virtute in auras ventoſq;

tosq; difflarunt inanes. nemine virtuti illorum ac Sapientiæ, olim vel hodie inuidente; nisi qui refragari audet Pontificio encomio, palàm in precatorijs Ecclesiæ tabulis attestanti; Deum sicut alios alijs temporibus sanctos viros, ita Luthero, eiusdemq; temporis hæreticis, Ignatium & institutam ab eo Societatem obiecisse. Videbatur venustissima semper florescentis Ecclesiæ facies quasi consenuisse, & inter caliginosas hæresum nebulas, auita illius obscurari elegantia, quin viribus labascere, militibus destitui, splendore Romani nominis obtenebrescere; dum ecce Sapientiæ diuinæ inuento, diuinaq; Societatis decem Sapientum operâ adlaboratum effectumq; est, (ita locupletissimo Ecclesiæ ipsius testimonio, tanquam vatidico Spiritus Sancti ore prodente) vt & nouo militarium copiarum subsidio, Antesignano Ignatio, Ecclesia grauissimis lacessita bellis roboraretur, & diuini Romanique nominis gloria, ad extremam vsq; Thulen & inaccessos orbis marisq; fines propagaretur; & in Europæ imperijs fidelium instauraretur pietas, detersaq; vetustate, primæuus templis cum fidei vigore rediret religionis nitor; humanæq; pretia salutis Sacramenta, cordi vsuiq; fidelium, & chariora æstimarentur, & adhiberentur frequentiora. Iam pace tua Hipponensis Theologorum gemma, dicere liceat. Magnus in mundum venit Medicus, medicinâ mentium, Theologicâ scientia allatâ, quam ab ipsis literarum incunabulis exordiendo, inaudito ab hominum memoria exemplo, comparauerat, Vir inter aulæ splendores & Martis laureas, heroica laude nuper consumatus; hodie inter elementarios Grammaticæ commilitones pueros,

ros, & minaces Magistri ferulas repuerascens Ignatius. Magnus inquam in mundũ venit Medicus, quia magnus in mundo iacebat ægrotus; Vniuersus scilicet Septentrio contagiosa Lutheri Caluiniq; lue lethaliter afflatus. Cùm multorum primæua refrixisset charitas, ignis cælestis Ignatius, prælucente illustrissimo Nominis & Numinis JESV iubare, ceu diuinæ lucis fonte, animis cælestium bonorum studio iterum inflammandis est destinatus; vt & pietatis igniculos & lumen Sapientiæ teneræ instillaret ætati. Tot erectis vbiq; mansuetiorũ literarum Athenæis, & publicis seueriorum disciplinarum Vniuersitatibus, quot à nascentis mundi incunabulis, ante Ignatij & Societatis JESV tempora, orbis vidit nunquam. Vt verò sapientiæ documenta, liberali in omnes dispensaret operâ, nullo sui suorumq; commodo, nisi augmento maioris Dei gloriæ vnico, non vni duntaxat regioni illustrandæ, Musarum & diuinioris Palladis lycæa erexit, sed quaquauersum illucescit Oriens, ardet Meridies, frigescit Septemtrio, obscuratur tegiturq; Occidens, vbiq; constanti sapientiæ sanctitatisq; institutione, ceu aperto vigiliq; in publicam orbis vtilitatem oculo excubat. Qui nec in Oriente, exorientis primordia nominis, in priuatam reflectit lucem; nec in Meridie fastu propagati inflammatur nominis; nec in Septentrione, inter extinctæ fidei & pietatis hyemes, arctatâ & quasi à frigore constricta algescit charitate; nec in Occidente in otium & laborum vesperas languente occumbit constantia. Quid mirum proinde, si ad ortum lucemque tanti sideris, quod orbem studiorum suorum ambitu complectitur, nullasq;

non

non errorum noctes diſſipat, illico immanes hæreſium belluæ, Eccleſiam diductis in errantium animarum perniciem faucibus circumcurſantes, ſpelæis antriſq; ſuis condantur, atq; à veritate errorũ iudice & cenſore deprehenſæ, ſuis ſe damnent latebris; neq; tantum audacis animi retineant, vt publico diſputationum conflictu cum veritate congredi audeant, certæ nimirum, luci à tenebris fugatis, ceſſuram triumphalem veritatis lauream. Ita regium illud vaticinium & huic conſonat elogio. Ortus eſt Sol, beſtiæ in ſuis cubilibus collocabuntur. Feruebat orbis orthodoxus, diſtortis diſſidentium ingeniorum ſententijs, & vt magna incendia è tenui quandoq; naſcuntur ſcintilla, ita è leuium altercationum ſemine, etiam bella prodierunt, quæ diſtractis regnis, totâq; pæne Europâ in accerrimos fidei conflictus & deplorandas innumerabilium fidelium clades dilaceratâ, non vrbis vnius ſed orbis totiùs excitarunt incendium. Non facile tantæ flammæ, aut ſapientiâ cuiuſpiam ſopiendæ, aut authoritate componendæ aut opprimendæ potentiâ videbantur. Sed fortior horum omnium extitit Sapientia, cuius præſidio inſtructus Ignatius, cùm è Vaticanis ſeptemcollibus, ceu publicis ſapientiæ exedris ipſe detonaret, & diſtributi per Italiam Germaniam Galliaſq; Socij, circumuentum rabularum & fabularum fraudibus indoctum vulgus, ad ſaniora & pacatiora reuocarent, illico magna eccleſiæ pax eſt reſtituta, reddita orbi quam Hæreſis eripuiſſe videbatur veritas, veritati mentium ſerenitas, ſerenitati publica regnorum tranquillitas. Euenit tum verè illud vatis Heroici.

-- -- magno in populo si fortè coorta est
Seditio, sæuitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat,
Tum pietate grauem ac meritis, si fortè virum quem
Conspexêre, silent, arrectisq; auribus adstant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Ita tum orbis tumultuans conticuit, & alta admiratione hæresis obstupuit, dum scilicet veritas & sapientia, publica vrbium compita, passim teneret arrectis animis suspensa. Finxit olim artifex fabularum antiquitas, turbulentum Oceani imperium, quà longè lateq; se porrigit, nullius sceptris iussisq; parere, prӕterquam vnius formidando Neptuni Tridenti. Dum nimirum omnia fluctibus miscentur, vndisq; in sublime elatis, Solem cælo eripere, terrasq; ruptis aggeribus inundare videtur, illico Neptunus irati fluctus maris suis coercet imperijs, & amæna Oceanum iubet stagnare tranquillitate. Tantum valet conspicuus regni insignibus Tridente Neptunus, dum caput extulit vndis. Si fabulosa licet componere veris, quantis tempestatibus, turbulenta illa Hæresiarcharum ingenia, sicut mare feruens in ecclesiæ nauim sese effuderant, ita vt orbis vniuersus grassantibus & exundantibus errorum procellis mergendus sepeliendusque videretur. At quis tandem tumentis fregit stititque fluctus, ne plus v tra ferocirent? Fregit stititq; Theologia, diuina illa Sapientia, meritò furentium hæresis tempestatum tumentisq; Oceani imperatrix dicenda; quæ circumdare mari terminum legesq; ponere aquis, & profundum abyssi penetrare, & in fluctibus maris ambulare, è Spiritus Sancti

cti oraculo perita, omnium excellentium faſtuq; turgentium refractaria eccleſiæ capita, virtute irrefragabilis veritatis calcauit, vt in omni populo & gente, primatum relatæ de erroribus victoriæ triumphatrix obtineret. Fregit certè ac efferatæ Hæreſis fluctus coercuit Tridentum, non ſecus ac Tridente formidandus Neptunus turbulentum compoſuit Oceanum. Expauit ſeditioſum illud mare feros deſpumans libidinū fluctus, excucullatus Lutherus, ad Tridentina Theologorum decreta, quibus exundantes errorum ſuorum fluctus magis cœrceri ſentiebat, quàm oggeſto validiſſimo aggere aut Neptuni Tridente, maris teneatur licentia. O diuinæ mentis propago nobiliſſima, Theologia! non degener à Dei ingenio partus, cæleſtium conſiliorum arbitra, oraculum & lingua Spiritus Sancti! Felicem Poloniam atq; nobiliſſimam hanc Poloniæ vrbem, regiam ſedem Varſauiam! Felices & hos Athenæi à Sacroſancta Theologia hodie conſecrati lares! in quibus diuina facultas, ſcientiarum ſcientia, mentium directrix & conſcientiarum Regina, orbis Chriſtiani Magiſtra, ſuam metatur figitq; cathedram. Si ſenſus quiſpiam, laribus his ineſſet, ſi interpres animi lætitiæq; lingua, ſi ad venerationem & gatulationem compoſita facundia; diceret vtique, tantæ hoſpiti, demiſſo cultu acclinis. Salue diuinarum ſedium perpes aſſecla, noſtris hodie illata dicataq; penatibus. Numinis æterni ingenio, à ſeculis genita; hodie Magni Antiſtitis diuiniſſimo conſilio, iterum in terris renaſceris. Dum à ſeculis & orbe condito expectata Virgo, hodie in lucem prodit, quæ increatam luci publicæ Theologiam ſit editura;

tura; eodem planè feliciſſimo temporum & myſteriorum concurſu, vnus vix ſimilem Præſul, viſus habere ſecundum, è Polono an polorum ſublimiore Solo prodijt, non modò Præſuleæ dignitatis, ſed genuini nominis ſui prærogatiuâ Sacroſanctus Antiſtes, qui Sanctitatis Matrem, cæleſtis ſapientiæ Magiſtram Theologiam, communi eccleſiæ & reipublicæ emolumento, hodie, (ô fortunatum diem ô felicem partum!) hodie inquam publicæ prodit luci. Ingenioſæ antiquitatis ſenſus ſententiaq; erat, Palladem Sapientiæ Deam, Jouis eſſe natam cerebro; quòd ſcilicet ſapientiſſima antiquitas crederet, non eſſe humani inuenti conſilijq; partum diuinas literas, ſed cæleſtibus immortalis Dei natalibus ortas atq; inde ad mortalium ſedes & conuictum deſcendiſſe. An igitur credamus, humanæ cuiuſpiam politicæq; rationis conſilio conſtitiſſe decretum, vt ſedem & domicilium hìc figeret Theologia? an potiùs Magni in eccleſia & repubilca Polona Numinis diuiniſſimo conſilio conſtitutum? vt ſanctiſſimæ ſoboles mentis, in cælis genita Theologia, nomine quoq; & partu Genitoris ſui, in terris ſanctificaretur. Diuinum profectò pectus, fæcundum conſilio caput, è quo non verſipelles Machiauelli Prothei, non millecipites factionum & technarum hydræ, ſed ſolida, cæleſtis, Diuina Sapientia, ad Chriſtianæ reipubl. propugnaculum, ad decus & ornamentum Magni, quia Orthodoxi Ducatus Maſouiæ, ad exterminandas è gremio & finibus Poloniarum hæreſes, ad beatæ deniq; & communis omnium perennitatis felicitatem adipiſcendam, feliciſſimo partu prodijt, Sacroſancta ſuo &

Fun-

Fundatoris nomine Theologia. Æterna immortalis Tui nominis veneratione, illa Tibi viuet vigebitq; obstricta, Illustrissime Antistes Chelmensis, & diuinæ Sapientiæ Patriarcha Reuerendissime. Quotquot illa Theologicis disciplinis excolet erudietq; clientes, tot Tibi Tuæq; munificentiæ ad perennem nominis famam excitabit encomiastas. Quoties docta ingeniorum pugna inter subtilia & acuta argumentorum spicula feruebit, toties Tibi victoriam triumphosque, victrix canet veritas. Quoties laureis infulisq; coronanda prodibunt è Tua Theologia Capita, toties æternas in astris, post sera fata, Doctorum Præsulumq; carpes laureolas. Stabit igitur Tuæ gloriæ & Sancto Præsuleoq; Nomini, æternum trophæum Theologia, hoc securiore nixum fundamento, contra liuoris odiiq; inanes machinas, quò solidiori tuæ auitæ Soleæ basi, in qua gloriosa Tua familia perennat, insistit. Ibit auspicatis, quibus cæpit passibus, in commune Ecclesiæ regniq; commodum; ibit doctas formare mentes, hæresum extirpare lolia, vitiorum profligare phalanges. Ibit nec alia premet vestigia ad palmam, quàm quæ palmaris Tua Solea, tot retro seculis, gloriosis signauit victorijs. Nemo verò fluctuantis aut fallentis sortis vestigia metuat, nostræ bene soleatæ solidatæq; Theologiæ, cui signum omenq; victoriæ prælucet, Crux triumphatrix. In hoc signo Illustrissime Antistes & Fundator, sanctissimorũ Tuorum conatuũ elides vincesq; aduersarios.

Vt vt viribus potentes, fraudibus formidolosi, authoritate magni, etiam Maximis & Maximinis maiores sese opposuerint, Tu benecæptorum constantiâ Constantinus,

B 3 ipso,

ipſo polo, ſi Polonia renuat, (non renuet autem) in Tua conſpirante conſilia, triumphabis vanas ſine viribus iras.

Et certè decebat in hoc ſigno, auita Tua CRVCE, ceu Incarnatæ Sapientiæ olim publica cathedra pro communi orbis ſalute erecta, Societatis IESV fundari Theologiam. Non aliam enim decemuirali Doctorum Societatis primo Collegio cathedrā, cùm primùm Romæ ſuæ eſſet Sapientiæ auſpicaturum Magiſterium, Diuina Sapientia Chriſtus, comprobante Patre, exhibuit ſpectandam ſpopon-ditq; extruendam; quam in qua ipſe ſuæ olim tradidiſſet doctrinæ arcana, cæleſtiſq; Sapientiæ myſteria ſublimiſſima. Diuino proinde conſilio factum eſſe arbitror, vt quam docendi exedram, æterni Patris Verbum, irreuocabili promiſſo fideque, primæuis noſtris decreuit Theologis, è quorum ſapientia orbi docendo ſuppari, noſtræ etiamnum manat doctrinæ riuulus; eadem quoq; nobis hodie, in hac auguſta Poloniæ Regum ſede, obtingeret Sapientiæ docendæ Magiſtrale pulpitum; in Tua Illuſtriſſime Præſul & Fundator, diuina cruce fundatum, & ad æternitatem, ſolidiſſimâ Tuâ perennis gloriæ Soleâ ſtabilitum. Fateor illam Æuiternæ Sapientiæ in editiſſimo fatalis an triumphalis montis faſtigio, ſublimem cathedram, tanquam mortis victricem, meliorſq; authricem vitæ, mortuorum inſtitiſſe capitibus: at nec noſtræ cathedræ, id diuini ominis & augurij, ad triumphanda Hæreſum tanquam mortua Eccleſiæ membra argumentum deeſt; vtpote quæ à tot proſtratis & contagioſa lue nuper ſublatis vrbis huius capitibus quaſi altera Caluaria, & nouiſſimè à Religioſis ſuis naſcentis Theologiæ primitij,

fato

fato præcoci ad astra transmissis, non dissimile sortitur fortunati auspicij prognosticon.

Ad te iam Doctorum Princeps, summe Theologorum Apex, sublimissima speculationum & contemplationum cælestium Aquila, Diue Joannes Euangelista, Vniuersitatum & comprimis Theologicæ facultatis supreme Mecænas atq; Patrone, præfatio mea sese conuertat est necesse. Tu inaccessæ Diuinitatis & Triados magna & à seculis in Deo abscondita Sacramenta, irretorto oculo speculatus, Theologiam speculatiuam de Deo vno & Trino primus es exorsus, editisq; publicæ luci prælectionibus, typo Spiritus Sancti eas diuulgasti. Faue sis vt hæc ipsa inscrutabilis Dei vnius Triniq; Mysteria, felix fortunatumq; Theologiæ nostræ cedant auspicium; & verò quid Deo auspice & argumento non cedat fortunatum? Tu è Diuini Sacrario pectoris, ceu scientiarum omnium Vniuersitate, inscrutabilis Theologicæ scientiæ thesauros, sacrasq; Doctorum laureolas, ad orbis Christiani Athenæa omnia dotanda ornandaq; extulisti: quando diuino pectori ceu expanso Sapientiæ libro intentus, totoque animo ad condiscenda sublimissima Theologiæ mysteria incumbens, eò subtilissimarum difficultatum & difficillimarum subtilitatum es eluctatus, quò nullis antehac Theologorum ingenijs, eluctandi speculandiq; patuit facultas Admitte (ita nostra Tibi supplex orat Theologia) admitte inquam communi cæterarum Academiarum iure & solenni Theologicæ facultatis consuetudine, etiam has hodie nascentis Theologiæ, cum nascente Sapientiæ increatæ Parente, Athenas.

Admitte

Admitte ſub gratiæ Tuæ patrocinium, Joannes, æternâ obſeruantiâ & deuotione, Tuo Nomini dicatas. Admitte & Tu Theologorum Principi & Primati Joanni Euangeliſtæ compar Diue Baptiſta Ioannes, Regum Inſtitutor & Eccleſiaſtes, laureate de Iure & Iuſtitia quam contra adulteros Principes propugnâſti, Doctor: Meritò in Tutelarem noſtræ Theologiæ de Iure & Iuſtitia pomeridianis horis auſpicantis, adſcite. At hæc eſt, Præſules, Abbates cæteriq; Proceres Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi, Sacri Collegij Veſtri Varſauienſis, cui tutelari iure & gratia, Magna hæc Cælitum Numina patrocinantur, gloria & felicitas, vt nobis & in cælis Protectores, & è gremio ſuo in terris Fundatores prouideat. Iam non modò argumento & nomine Sacroſanctam: ſed ſi è tantorum Antiſtitum & Procerum ſplendore, qui Athenæo noſtro Theologico hodie affulſit, gloriari licet, etiam è luce veſtra ſideris inſtar coruſcantem ſe hodie gaudet miraturq; Theologia. Et quidni gaudeat mireturq; ? quam nimirum ſuâ colluſtrant & coronant præſentiâ, ſummi humanarum, politicarum, & diuinarum literarum Vertices atq; Infulati Præſules Abbateſq; nec non Illuſtriſſimi S. R. I. Comites & Regni Senatores: Voſq; potiſſimùm quos honoris & venerationis causâ iuremeritò nomino; Tu comprimis Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Antiſtes Poſnanienſis, ſub cuius auſpicijs nuper cæptæ, hodie conſummantur Collegij Varſauienſis Societatis IESV Scholæ. Tuq; Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Chelmenſis Antiſtes, Theologiæ Fundator, æternis faſtis ſuper æthera ſideraq; inſerende, nullaq; non ætate, omnium linguis,

potiſſi-

potiſſimùm gratæ Societatis Jesv pectore, & ſingulorum per orbem vtrumq; Sparſorum Sociorum precibus, & Sacroſanctis Sacrificiorum Suffragijs, ſemper commemorande. Tuq; Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Antiſtes Kiouienſis, ſcientijs omnibus, humanis diuiniſque cultiſſime, vt meritò hac Poloniarum ætate, literarum illuſtre ornamentum & Senatorum Præſulumq; Iubar audias. Tuq; Perilluſtris & Reuerendiſſime Venerabilis Collegij Decane Regum digniſſime Eccleſiaſtes ac Zeloſiſſime publicæ pietatis propagator. Tuq; Perilluſtris & Reuerendiſſime Abbas Paradiſienſis & Venerabilis Collegij Præpoſite; ſpectatæ & in Regum aulis & in moderandis Religioſorum Tuorum Aſceterijs, virtutis exemplar. Tu quoq; Perilluſtris & Reuerendiſſime Abbas Tremeſnenſis, Generalis in Spiritualibus per Varſauienſem Archidiaconatum Vicarie; ſanguinis pariter ac Virtutis vinculo cognate Illuſtriſſimi Fundatoris noſtri Frater, quem Magnum ſemper Fundationis conſeruandæ augendæque Patronum & Societatis minimæ defendendæ Mecænatem colemus atque venerabimur. Tu quoque Perilluſtris & Reuerendiſſime Abbas Claræ Tumbæ, qui faſtis & factis, virtutum non vulgarium ſpecimina publicæ prodis luci, vt omnes illimi vita calamoq; ad cultioris ſanctimoniæ æmulationem accendas. Vos quoq; Perilluſtres & Reuerendiſſimi Sacri Collegij Proceres, quorum alter altiſſima Maieſtatum iudicia docto exæquat calamo; alter regij ſanguinis & nominis Nepotem, hodie Illuſtriſſimum Varmiæ Præſulem, Angeli vigilantiſſimi vice per Europæ celeberrima Regna & lycæa duxit

 redu-

reduxitq; virtutibus & literis politiſſimum. Vos quoq; cæteri omnes, Magni Eccleſiæ & Reipub. Prælati ac Proceres, in quorũ nobiliſſima corona velut gemmã ſplendidiſſimã te colo venerorq; præſentem, Illuſtriſſime S. R. I. Comes & Palatine Liuoniæ, qui nouum Orthodoxæ Eccleſiæ Sidus, Fidei & Religionis Zelo feruentiſſimum nuper acceſſiſti; hodieq; præſentiâ Tuâ Illuſtriſſimâ tanquã lucidiſſimo Iubare, Theologiæ noſtræ Orienti colluſtrando, gratiſſimus affulſiſti Phoſphorus & Hoſpes. Vos deniq; vniuerſi perilluſtribus Reipub. dignitatibus & officijs ornatiſſimi Hoſpites: quorum ex æquo memorandis meritis & virtutibus, dies & dicendi facultas me deficeret.

Jam ad Polonorum Aquilam Sereniſſimo Poloniarum Regi Ioanni Tertio ſacram dicatamque, à Polorum Aquila, Theologia, Diuo Ioanni Theologorum Principi nuncupata; mea ſe vertat Oratio eſt neceſſe; vt naſcentis Theologiæ noſtræ primordia, quò felici creſcant & augeantur progreſſu, ſub Regalis Scuti patrocinio, & victribus Aquilæ Sarmaticæ alis reclinet. Bellatrix Theologia eſt, Pallas eſt armis inſtructa, quæ ſuperſtitioni Ethnicæ hæreſique perenne dixit bellum, feliceſq; toto orbe tulit victorias, atque opima non armorum ſed animorum ſpolia, Vaticano inuexit Capitolio. Quidni igitur patrociniũ præſidiumq; ſub illo Scuto ambiat? Quod contra potentiſſimum Ottomanici imperij exercitum, validiſſimum nuper extitit Poloniæ atque Eccleſiæ totius propugnaculum. Regina Scientiarum omnium Theologia eſt. Anne igitur Reginæ huius vertici pretioſiſſi-

mum


mum diadema accesserit, si Regalis & Reginalis gratiæ, bonæq; erga bonas literas voluntatis Scuto coronabitur? Sol est humanarum mentium & abditissimorum conscientiæ recessuum illuminatrix Theologia; anne igitur si Sol in aureum regnatricis dexteræ clypeum refulserit, non tam regni montes quàm reipublicæ magnæ mentes, à repercusso Clypei Regalis fulgore resplendebunt? Resplendebunt profectò atque ita quidem resplendebunt magnæ Sarmatiæ mentes; vt & ipse regnantis Maiestatis thronus, & dominatrix Throni Domus, ad seculi vsque consumationem, sicut Sol in conspectu orbis Poloni æternùm luceat, & in natis natorum & qui nascentur ab illis, nunquam Regij ac Reginalis nominis sanguinisque splendor occumbat.

Habita in Auditorio Theologico Collegij Varsauiensis Societatis IESV.

A

R. P. MARTINO KRETZMER
Societatis Iesv SS. Theologiæ Doctore, eiusdemq; Professore Ordinario, Sacræ Scripturæ Interprete, nec non Studiorum Præfecto.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0029856



